QUAESTIONES AMMIANEAE CRITICAE.

SCRIPSIT

OTTO GUENTHER
DR. PHIL.

GOTTINGAE.

APUD VANDENHOECK & RUPRECHT.
MDCCCLXXXVIII.

Typis impressit F. Scheel. Casselae.

PARENTIBUS OPTIMIS

S.

Abstineo verbosis laudibus, qualibus plerique eorum, qui de Ammiano Marcellino dissertationem aliquam conscripserunt, sub ipsis libellorum initiis scriptorem suum sibi efferendum esse arbitrati sunt. Neque enim Ammianus tali praedicatione eget, quippe qui in eorum sit numero, quorum opera, quotienscunque ad ea redieris, non solum cum magna voluptate sed etiam cum non mediocri fructu lecturus sis. Itaque factum est, ut cum superioribus temporibus minus tractatus esset quam meruit, nostra aetate maximeque Gardthauseni editione confecta non satis emendata illa quidem sed tamen plerumque necessario apparatu instructa homines philologi et historici maiore vi ac pondere in studia Ammianea incumberent.

Ac primum quidem in sermonis Marcellini leges proprietatesque indagandas nonnulli homines docti operam suam contulerunt. Postea enim quam editione Gardthauseniana nondum emissa Kallenbergius[1]) de infinitivi usu Ammianeo haud male disseruit, nuper cum Hassensteinus[2]), Dederichsius[3]), Reinhardtus[4]), tum Ehrismannus[5]), Reiterus[6]) in singulas syntaxeos Ammianeae partes accuratius diligentiusque inquisiverunt. Deinde studiis

[1]) Quaestiones grammaticae Ammianeae. diss. Hal. 1868.

[2]) De syntaxi Ammiani Marcellini. diss. Regimont. 1877.

[3]) Quaestiones Ammianeae grammaticae et criticae. diss. Monast. 1878.

[4]) De praepositionum usu apud Ammianum. diss. Hal. 1886.

[5]) De temporum et modorum usu Ammianeo. diss. phil. Argentor. select. X. 1886.

[6]) De Ammiani Marcellini usu orationis obliquae. diss. Virceb. 1887.

Hertzii[1]), Michaeli[2]), Woelfflini et Gerberi[3]), qui de Ammiano Sallustii Ciceronis Taciti Gellii imitatore subtiliter egerunt, supplementum aliquod additum est a Wirzio[4]) similemque viam ingressus est Schneiderus[5]), qui res verba sententias, quae ex Herodiani historiis hausisset Ammianus satis diligenter collegit.

His igitur libellis de sermone Ammiani actum est, de quo tamen plus quam una quaestio remanet instituenda. Quod ad res attinet a Marcellino tractatas, ante omnes idem commemorandus est Michaelus[6]), qui de tota operis compositione plane novam protulit sententiam. Demonstrare enim studuit res inde a principatu Caesaris Nervae, a quo ipse Ammianus XXXI 16, 9 se esse exorsum profitetur, usque ad annum p. Chr. n. 353, unde liber quartus decimus initium capit, uberius explicatiusque a scriptore digestas fuisse quam ut tredecim libris nobis deperditis contineri potuissent; immo Ammianum eodem modo quo Tacitum, quem imitaretur, duo composuisse opera, in quorum altero res inde a Nerva usque ad mortem Constantini Magni expositas, altero suae aetatis memoriam ab eo traditam fuisse. Fateor mihi quidem hominem doctissimum opinionem suam satis reddidisse verisimilem; nam quod obvertit ei Schwabius[7]), cui ipsi ut persuasurus fuerit haud multum afuisse videtur, „man entschliesst sich doch schwer auf Gruende hin, welche leicht täuschen können, ohne irgend ein äusseres Zeugnis dem Ammian ein zweites so ausführliches Werk beizulegen", id mihi non multum valere videtur, cum etiam id opus, cuius pars aetatem tulit, semel tantum a veteribus

---

1) Ind. lect. Vratisl. 1874. — Herm. VIII p. 257 sqq.

2) De Ammiani Marcellini studiis Ciceronianis. diss. Vratisl. 1874.

3) Philol. XXIX p. 557 sqq.

4) Philol. XXXVI p. 627 sqq.

5) Quaestiones Ammianeae. diss. Berolin. 1879.

6) „Die verlorenen Bücher des Ammianus Marcellinus". Vratislav. 1880.

7) Teuffel. H. L. R.[4] p. 1010.

commemoretur (cf. Priscian. XI 51 pag. 487 ed. H.) ipseque Schwabius concedat „den Verlust des grössten Teiles dieses zweiteiligen Werkes würde man aus dem Umfang wie aus der schwerverständlichen Schreibweise erklaeren können".

De geographicis Ammiani fontibus iam Gardthausenus[1]) disseruerat. Eandem rem denuo multoque ad persuadendum aptius tractavit Theodorus Mommsen[2]), cum libellis Schuffneri[3]), Schleussneri[4]), Wilkensii[5]) nihil fere, quo quaestio illa magnopere adiuvaretur, profectum sit.[6]) De praefectorum urbis Romae apud Ammianum serie haud male Seeckius[7]) disputavit, de potestate iudicum Germanorum, qui passim ab Ammiano commemorantur, Dahnius[8]) nonnulla exposuit.

Summo denique Ammiano novissimi anni emolumento fuerunt quod artem criticam attinet. Atque primo quidem loco nominandae sunt divini Bentlei emendationes, quas ex exemplari eius descriptas Zangemeister[9]) et Schroeder[10]) ediderunt et de quibus non immerito Francogallicus quidam criticus his iudicat verbis (Revue des revues 1878 p. 134) „c'est un véritable trésor

---

[1]) Annal. phil. suppl. VI p. 509 sqq.

[2]) Herm. XVI p. 602 sqq.

[3]) Ammianus Marcellinus in rerum gestarum libris quae de sedibus ac moribus complurium gentium scripserit, quibus rebus differat ab aliis scriptoribus, quibus cum iis congruat exponitur. Meining. 1877.

[4]) Quae ratio inter Taciti Germaniam ac ceteros saeculi primi libros latinos, in quibus Germani tangantur, intercedere videatur; accedunt loci quidam Ammiani Marcellini. Barm. 1886.

[5]) Quaestiones de Strabonis aliorumque rerum Gallicarum auctorum fontibus. diss. Marb. 1886.

[6]) Christophii librum „géographie d'Ammien Marcellin" Lyon 1880 inspicere non potui.

[7]) Herm. XVIII p. 298 sqq.

[8]) Forschungen zur deutschen Geschichte XXI p. 225 sqq.

[9]) Mus. Rh. N. S. XXXIII p. 462 sqq.

[10]) Mus. Rh. N. S. XXXV p. 336 sqq.

qui fait faire un progrès immense notamment au texte d'Ammien." Quamquam enim haud paucis locis coniecturam margini adscripsit, quibus offendendum non est, — id quod unicuique qui cursim scriptorem aliquem legit necessario accidit —, tamen tam multa feliciter emendavit, ut iam in eorum quoque, quibus Ammianus plurimum debet, numero habendus sit. Admirabilis deinde ingenii sui, ut semper fere, ita etiam in Ammiani verbis restituendis haud pauca dedit documenta qui nuper nobis ereptus est Madvigius.[1]) Hunc novissime secutus est Cornelissenus[2]), qui quamquam ut solent Batavi in multis iniuria haesit, tamen aeque multa secunda correxit Minerva.[3]) Etiam alii ut librariorum mendis liberarent Marcellinum hic illic operam navaverunt.[4])

Superest ut dicam de quaestione, quam de Ammiani fragmentis Marburgensibus Henricus Nissen scite ac diligenter instituit, simulque, priusquam ipse (id quod huius dissertationis summam esse volui) nonnullos Ammiani locos coniectura sanare coner, meam sententiam exponam, in

---

[1]) Adversar. critic. III p. 251 sqq.

[2]) Mnemos. N. S. XIV p. 234 sqq.; vide etiam Mnemos. N. S. VI p. 313 sq.

[3]) Ceterum homo doctissimus haud levis accusandus est neglegentiae, quippe qui triginta fere locis coniecturas ut suas protulerit, quae antea iam ab aliis factae erant. Ut aliorum libellos animadversionesque hic illic dispersas omittam, tamen priusquam quae sibi invenisse videbatur, publici iuris faceret, et Bentlei emendationes et Madvigii adversaria et Hauptii opuscula ei inspicienda erant.

[4]) cf. Haupt opusc. III p. 644 sq.; Eyssenhardt annal. phil. 1875 p. 509 sqq. et Mus. Rhen. N. S. XXIX p. 640; Hertz annal. phil. 1881 p. 764 sq. et Mus. Rhen. N. S. XXIX p. 511; Ellis journal of philology XIV p. 89; Mommsen Herm. XVI p. 603, 614, 615, 629 sq. (= Loewe acta soc. phil. Lips. V p. 334 sq.); XVII p. 165; Traube varia libamenta critica, diss. Monac. 1883 p. 11 sq.; Georges annal. philol. 1878 p. 830; Vogel annal. philol. 1883 p. 865 sq.; Schneider l. c.; Dederichs l. c.; Wirz l. c.; Stangl Philol. XLVI p. 97; Baehrens Catull. II p. 262; Wentzel in Genethliac. Gottingens. Epiphyllid.

quonam fundamento emendationem Ammiani conditam esse velim.

In verbis Ammiani recte constituendis nullius libri rationem habendam esse nisi et codicis Vaticani (V) numero 1873 insigniti, qui olim erat monasterii Fuldensis, et editionis anno p. Chr. n. 1533 a Sigismundo Gelenio comparatae iam Hauptius [1]) animadvertit. De Vaticano paulo inferius dicam; quod ad Gelenii editionem (G) attinet, ex ipsa praefatione comperimus usum eum esse exemplari quodam vetusto manu scripto quod suppeditaverit ei abbas Hersfeldensis. Quem codicem Hersfeldensem quo adiutum editor non solum se multos locos castigasse sed etiam lacunas aliquot explevisse ait, exceptis sex foliis nuper inventis et ab Henrico Nissen [2]) editis nobis deperditum esse quam maxime dolendum est. Fieri enim non potuit, quin de fide Gelenii ut in aliis rebus ita etiam in Ammiani verbis constituendis ab hominibus doctis hic illic dubitaretur. Atque ex parte quidem recte dubitatum est. Hominem enim illum sagacissimum in edendo Ammiano non eam adhibuisse diligentiam, quam hodie a quovis editore expostulamus, cum iam antea suspicari liceret, tum repertis fragmentis illis Marburgensibus (M) prorsus certum redditum est. Nam primum quidem haud uno loco verba intellectu difficilia, quae ut extant in V° ita etiam in Hersfeldensi vel sunt vel fuerunt, cum emendare non posset, plane omisit. cf. e. gr.

	MV:	G:
XXIII 6, 40	ea ferebatur	ferebatur
XXVIII 4, 22	ut id in pleris orae fatorem operiente nec puteos nec facili potest aegritudo testam . . . . . comitatum est his quistuam	om.

---

[1]) cf. opusc. II p. 374 sq.

[2]) Ammiani Marcellini fragmenta Marburgensia edidit Henricus Nissen. Berol. 1876.

XXVIII 4, 26	et testatura . . . ancillas captenatura pallidi aspirati pridie consumpto defuncta . . . um romaque ut millius ait	om.
XXVIII 4, 30	nominabilis aequis parum coherce . . . er	om.
XXVIII 4, 31	et ubi neglegentiae tanta est caries	om.
XXVIII 5, 1	dum diuturno	diuturno
XXVIII 6, 3	utinouo	om.
XXVIII 6, 4	seritatibus	om.
XXX 3, 3	oratum eum pertinerent et exoratum	eum pertinerent exoratum.

Deinde, id quod summum est, quamquam Hersfeldensem optimae librum notae esse perspexerat, tamen tantum aberat, ut in hoc solo fundamento editionem suam exstrueret, ut inprimis vetustioribus editionibus usus[1]) Hersfeldensem passim tantum adhiberet. Itaque factum est, ut non solum verba, quae extabant in Hersfeldensi, in illis autem editionibus casu quodam omissa erant, ipse quoque omitteret, ut e. gr.

XXIII 6, 41 et

XXIII 6, 43 Moesia,

sed etiam, cuius rei exempla afferre supersedeo, saepissime Hersfeldensis lectionis prorsus nulla ratione habita in commentis licet falsissimis adquiesceret Petri Castelli, quo vereor ut quisquam plus Ammiano nocuerit. Omnino interfuisse eius videmus non tam ut genuinam Ammiani manum restitueret quam ut lectionem exhiberet, quae si vera non erat, tamen ab eis, qui accuratius eam non examinarent, fortasse tolerari veraque haberi posset. Postremo ne id quidem neglegendum est multas earum lectionum, quas Geleniana editio habet a V^1 scriptura discrepantes, non fuisse in Hersfeldensi sed ab ipso Gelenio excogitatas esse. Quae quamquam magna ex

[1]) cf. Mommsen. Herm. VI p. 236 sq. et Nissen. l. c. p. 25 sq.

parte non solum speciosissimae sed etiam rectissimae sunt — neque enim temere Hauptius (opusc. II. p. 375) eum praeclari ingenii hominem appellavit —, tamen in propatulo est nobis nonnisi cum maxima cautione iudicioque admodum circumspecto editionem eius adeundam omnesque eius varias lectiones, nisi ex Hersfeldensi codice eas haustas esse plane certo argumento demonstrari poterit, coniecturas putandas esse hominis sane sagacissimi, sed tamen coniecturas tantum. Summum momentum semper V° tribuendum erit, qui, si a lacunis discesseris statim commemorandis, quam prope ad Hersfeldensem accedat, quicumque eum cum fragmentis Marburgensibus contulerit, facile intelleget.[1])

Ut in hac re ad eandem perveni sententiam, quam Nissenus amplexus est, etiam in eo quod lacunas attinet a Gelenio expletas plane cum homine illo doctissimo consentio. Recte enim Nissenus exposuit fragmenta Marburgensia, quamquam fortuito talis locus quo V[1] lectio hiulca Gelenii additamentis expleta esset in eis non extaret, tamen id luculenter ostendere non de suo illa Gelenium addidisse, quippe qui locos laceros non supplevisset plerumque sed omisisset.[2]) Addiderim supplementa illa magna ex parte ita comparata esse, ut vix a quoquam excogitata esse possint inque primis Hermapionis fragmentum, quod in libri XVII capite 4 in V° excidit, si quis vitiare voluisset, eum certe emendatius vitiaturum fuisse. Aliquantum sententiae nostrae fortasse inde quoque adcrescit probabilitatis, si meminerimus, quomodo eadem res se habeat in scriptis Symmachi. Meyero enim Spirensi cum ante hos XV annos Symmachi relationes ederet, praeter unum codicem Tegernseeensem potissimum editio princeps Gelenii adhibenda erat. Quem cum nonnulla sane sagaciter emendasse, quaedam vero audacius mutasse perspiceret, etiam ultima relationis quartae verba, quae ut

[1]) Quod codicem Petrinum (P) attinet, vide quae exposuit p. XVIII editionis suae Gardthausenus, qui tamen vereor ne ei plus quam par est momenti tribuerit.

[2]) cf. Nissen. p. 29.

in Tegernseeensi exciderant ita extabant apud Gelenium, ab hoc ipso ad supplendam sententiam excogitata esse ratus in editione sua omisit. Sed erravit praeceptor meus doctissimus. Postea enim quam codex Mettensis saeculo XI scriptus innotuit, in eo eadem illa quae Gelenius addidit verba inesse apparuit. Itaque etiam Hersfeldensis ea, quibus Gelenius laceras Ammiani sententias supplevit, revera habuisse videtur suoque iure Nissenus flagitasse, ut additamenta illa verborum contextui redderentur neve iam typis distinguerentur.

Haec praefatus non tam ut de eis libris quos commemoravi iudicium ferrem aut novi aliquid proponerem, quam ut quaecunque post editionem Gardthauseni de Ammiano scripta essent in uno conspectu componerem simulque pauca adderem de critica ratione, qualem ipse in emendando Ammiano adhibendam esse censerem, iam in singulos quosdam Marcellini locos accuratius inquiram in universum eo servato ordine, quo apud ipsum scriptorem extant.

XIV 4, 1. Ammianus de Saracenorum in fines Romanos incursionibus verba facit eosque parvo temporis momento quidquid inveniri potuerit devastare dicit *milvorum rapacium similes, qui si praedam dispexerint celsius volatu rapiunt celeri aut si impetraverint non immorantur.* Valesius cum intellegeret postrema verba ut extant in V° se recte habere non posse, scribendum esse iudicavit: *aut* <*ni*>*si impetraverint.* Neque vero id recte iudicasse hominem doctissimum optimeque de Ammiano meritum mihi quidem persuasissimum est. Nam primum quidem si Valesii coniecturam probamus postrema comparationis verba omnino

ad Saracenos non quadrant, quos Ammianus quidquid inveniri potuisset devastasse neque vero umquam infecta re redisse dicit. Tertium quod dicitur comparationis mihi quidem in una ea re positum esse videtur, quod et Saraceni et milvi rapinas exiguo quodam temporis spatio perficiunt neque diutius quam opus est in eis morantur. Deinde particula *aut* posita verbum quod est in priore sententiae parte quodammodo oppositum esse debet ei verbo, quo continetur praedicatum posterioris partis. Quod secus est. Verbis enim *qui si praedam dispexerint celsius volatu rapiunt celeri* nihil aliud significatur nisi aves illas praedam, si ex aere oculis perceperint, velocissime demissas arripere, neque vero eas cum arrepta praeda celeri volatu abire. — Denique, id quod summum est, si tale quid quale Valesius suspicatus est Ammianus dicere voluisset, apparet eum scripturum fuisse *si non impetraverint* neque vero *nisi impetraverint*, qua lectione recepta fieri non potest quin milvos si praedam impetraverint revera diutius immorari concludamus, id quod hoc quidem loco prorsus ineptum est. Videmus igitur et Valesii coniecturam falsam esse et mendum non in particula *si* sed in vocabulo *aut* latere. Scripserat autem Ammianus *qui si praedam dispexerint celsius volatu rapiunt celeri* a t q u e (sive *et*) *si impetraverint non immorantur.*

XIV 6, 11. Praedicatur antiquorum Romanorum simplicitas atque abstinentia, qui quamquam divitiis non fuerint praediti, tamen summis fulserint virtutibus. *Hac ex causa conlaticia stipe Valerius humatur ille Poplicola et subsidiis amicorum mariti inops cum liberis uxor alitur Reguli et dotatur ex aerario filia Scipionis, cum nobilitas florem adultae virginis, diuturnam absentiam pauperis erubesceret patris.* Sic vulgo legebatur ante Valesium[1]) ac ne Valesio quidem

---

[1]) nisi quod *hac ex causa* ex V[1] lectione *hic ex causa* pro vulgato *hinc* rectissime Eyssenhardtius restituit.

hanc lectionem ferri non posse plane persuasum erat. Tamen verba ex plus quam una causa mutanda sunt. Neque enim erat, cur nobiles Romani de diuturna Scipionis illius absentia erubescerent, cum ipsorum iussu ad bellum in Hispania gerendum missus esset.[1] Ac Valesius ad hunc locum adnotavit haec: «in cod. Regio et edit. Romana reperi *diuturnum*, unde quis conicere possit, legendum esse *cum nobilitas florem adultae virginis diuturnum absentia pauperis erubesceret patris*, et ita diuturnus flos erit quem alii obsolescentem dicerent.» *diuturnum*, quod ille in cod. Regio invenit, etiam in V^0 extat. Neque tamen coniectura eius, quam et Eyssenhardtius et Gardthausenus receperunt, locum sanatum esse credo. Praeterquam enim quod infinitivo *esse* haud lubens hoc loco carerem, florem adultae virginis diuturnum idem significare posse atque obsolescentem florem nemo mihi persuadebit. Quod desideratur facillime eruitur. Erubescebaut optimates, quod cum Scipio pater relictis nullis domi divitiis in Hispania pugnaret, pulchritudo maturae eius filiae futurum esset ut evanesceret neque reperiret virgo, qui se uxorem duceret. Quam quidem sententiam assequemur, si Valesii coniectura *absentia* probata ut sexcentis aliis Ammiani locis hic quoque aliquid excidisse rati ita verba constituerimus *cum nobilitas florem adultae virginis diuturn<a interitur>um absentia pauperis erubesceret patris*. Cogitandum est oculos scribae a litteris quae sunt *turn* ad similes illas *tur* aberrasse.[2]

XIV 10, 14. Alamanni, quibus a Constantio bellum illatum est, postquam optimates miserunt qui ab eo pacem

[1] cf. Liv. XXV.

[2] Vulgatam lectionem mecum damnaverunt quos de hac re consului praeceptores mei Wilamowitzius et Meyerus Spirensis, quorum ille *cum nobilitas florem adultae virginis interiturum absentia pauperis erubesceret patris*, hic coll. exempli gratia Verg. A. II 541 *cum nobilitas florem adultae virginis diuturnum <ob> absentiam pauperis erubesceret patris* scribendum esse iudicavit.

veniamque peterent, Constantius exercitu convocato quod iustis condicionibus poscant eis tribuendum reputandumque esse dicit *quod non ille hostis vincitur solus, qui cadit in acie pondere armorum oppressus et virium, sed multo tutius etiam tuba tacente sub iugum mittitur voluntarius, qui sentit expertus nec fortitudinem in rebellis nec lenitatem in supplices animos abesse*[1]) [lac. 7 litt.]. Etiamsi lacuna illa quam significavi in V° non hiaret, tamen aliquid desideraremus, id scilicet, cui neque in rebelles fortitudo neque lenitas in suplicantes deesset. Apparet igitur lacunam sic explendam esse *qui sentit expertus nec fortitudinem in rebellis nec lenitatem in supplices animos (animis?) abesse* <*R o m a n i s*>.

XIV 11, 4. *Cum haec taliaque sollicitas eius* (scil. Constantii) *aures everberarent expositas semper eiusmodi rumoribus et patentes, varia animo tumiscente consilia tandem id ut optimum factu elegit: et Ursicinum etc.* Sic V, in quo verba *varia animo tumiscente consilia* corrupta esse nemo non videt. Neque vero assentior Hertzio[2]), qui Castelli coniectura *tumescente* recepta ita putat scribendum esse *variis animo tumescente consiliis*, cum talium interpolationum, qualem hoc loco homo doctissimus statuere vult, in Ammiano vix ullum deprehendas exemplum neque omnino hoc loco tumescendi verbum satis videatur aptum esse, quippe quod translate dictum semper aliquam superbiae fastidiique notionem habeat. cf. e. g. XV 8, 7; XVI 5, 17; XXIII 6, 19; XXIV 2, 1. Quod ne hic quoque statuamus cum alia tum prima paragraphi verba obstant *cum haec taliaque s o l l i c i t a s eius aures everberarent.* Sed ne id quidem, quod Eyssenhardtius et Gardthausenus codicis Petrini lectionem secuti in ordinem verborum receperunt *varia animo tum miscente consilia*, mihi probatur; particula enim *tum* hoc loco prorsus supervacanea, ne dicam molesta, est. Quod vero coniecit

---

[1]) sic recte Eyssenhardtius pro eo quod est in V° *adesse.*
[2]) Ind. lect. Vratisl. 1874 p. 4 sq.

C. F. W. Mueller[1]) homo ingeniosissimus, cuius emendationes a Gardthauseno plus quam meruerunt neglectae sunt, pro *tumiscente* scribendum esse *comminiscente*, id mihi longius a codicis vestigiis recedere videtur quam ut probabilitatis speciem prae se ferat. Equidem opinor ab Ammiano scriptum fuisse sic: *varia animo diu miscente consilia,* quae coniectura satis probari videtur eo vocabulo quod sequitur *tandem.* Conferre etiam potes XV 4, 1 *digestis diu consiliis id visum est honestum et utile* e. q. s. et XXVI 4, 3 *multa secum ipse divolvens .... nihil morandum ratus* e. q. s., ubi *divolvens* illud iam ante Cornelissenum a Wirzio[2]) recte in *diu volvens* mutatum est.

XV 1, 4. Castigat Ammianus Constantii superbiam atque intemperantiam, quippe qui se ipse totius orbis appellaverit dominum. *namque etiam si mundorum infinitates Democriti regeret, quos Anaxarcho incitante magnus somniabat Alexander, id reputasset legens vel audiens quod, ut docent mathematici concinentes, ambitus terrae totius, quae nobis videtur immensa ad magnitudinem universitatis instar brevis obtinet puncti.* Minime Constantius id quod dicit scriptor reputasset, cum ne tum quidem, cum non Democriti illas infinitates sed Romanum tantum imperium regeret, reputaret. Sententia utique flagitatur, ut corrigamus *namque etiam si mundorum infinitates Democriti regeret, quos Anaxarcho incitante magnus somniabat Alexander, id reputa<re debui>sset*[3]) *legens vel audiens etc.*

XV 2, 7. *Indeque ad Julianum recens perductum calumniarum vertitur machina memorabilem postea principem, gemino crimine, ut iniquitas aestimabat, implicitum: quod a Macelli fundo in Cappadocia posito ad Asiam demigrarat*

---

[1]) Annal. phil. 1873 p. 341.

[2]) Philol. XXXVI p. 636.

[3]) an <*haud male*> *id reputasset?*

liberalium desiderio doctrinarum [et] per Constantinopolim transeuntem viderat fratrem. Quod vulgo additur *et* in codd. deest. Extat autem inaudita discrepantia inter haec Ammiani verba et ea, quae alii scriptores de his rebus nobis tradiderunt. [1]) Cum enim § 8 Julianus revera se duo illa, quorum accusatus sit, fecisse concedat [2]), ex Ammiani narratione primum sequitur Julianum a Macelli fundo in Cappadocia posito Asiam demigrasse. Est mira haec sine dubio dictio, cum etiam Cappadocia in Asia sita sit. Obverti sane potest Asiam hoc loco non totam significare Asiam minorem quae dicitur sed provinciam Romanam quae Asia vocabatur (cf. e. gr. Cic. d. imp. Cn. Pomp. § 4; Plin. hist. n. V 102); tamen haec dicendi ratio hoc quidem loco valde esset abstrusa, cum multo simplicius atque clarius dicere potuisset *quod a M. fundo in Cappadocia posito ad Bithyniam* (sive rectius etiam *Nicomediam) demigrarat.* Nicomediae enim Julianum artibus ingenuis operam dedisse Libanius magister eius testatur. [3]) Sed ut concedam, quod minime concedo, ita revera ab Ammiano dici potuisse, statim alia nobis exsurgit difficultas. Nam et eodem Libanii loco, cuius modo mentionem fecimus, docemur priusquam se contulerit Nicomediam Julianum aliquantum temporis degisse Constantinopoli, et ipse Julianus priusquam Nicomediae inclusus sit se per septem menses huc atque illuc raptatum

---

[1]) Ex parte aliqua hoc iam Valesius vidit.

[2]) Verba ibi extant haec: *qui cum obiecta dilueret ostenderetque neutrum sine iussu fecisse, nefando adsentatorum coetu perisset urgente, ni etc.*

[3]) epitaph. in Julian. ed. Reisk. vol. I p. 526 *καὶ ταῦτα οὐκ εἴα καθεύδειν Κωνστάντιον. δείσας δὲ μὴ πόλις μεγάλη τε καὶ μεγάλην ψῆφον ἔχουσα καὶ πρὸς τὴν ῥώμην εἰκασμένη τοῖς ὅλοις* (i. e. Constantinopolis; cf. Zosim. III, 11, 4) *ἐπισπασθῇ πρὸς τὴν ἀρετὴν τοῦ νέου καὶ γένηταί τι τῶν ἐκείνῳ λυπηρῶν, πέμπει μὲν αὐτὸν εἰς τὴν Νικομήδους πόλιν, ὡς οὐ φοβήσουσαν ἴσα, παιδεύεσθαι δὲ δίδωσιν ἐξουσίαν.* cf. eiusdem panegyr. in Julian. ed. Reisk. vol. I p. 407, 20 sqq. et Amm. Marc. XXII 9, 9.

esse ait.[1]) Si igitur Ammiani verba se recte habere existimamus, certe scriptor alioqui quantum scimus fidei spectatissimae, haud levis accusandus est aut inscitiae aut neglegentiae, id quod praesertim cum agatur de Juliano, quem quam maxime ille veneratur, haud facile quisquam crediderit. — Sed accedit aliud idque multo etiam gravius. Ut verba extant Ammiano auctore Julianus Gallum fratrem vidit transeuntem per Constantinopolim. Hoc fieri potuit aut cum Gallus Caesar factus orientem petivit, aut cum urgente Constantio inde revertit. Sed neutrum accidit. Julianum enim cum orientem peteret Gallus non Constantinopoli sed Nicomediae fuisse ibique fratrem salutasse scimus ex Libanii eiusdem epitaphii Jul. p. 527 ed. Reisk., ubi leguntur haec: *Καὶ πέμπεται Γάλλος ἐξ Ἰταλίας τὴν πρὸς ἕω φρουρήσων* (edit. Reisk. *φρουρήσαν*, correxi) *καὶ ὅπερ τῷ τοῦδε πατρὶ πρότερον τοῦθ' ὑπῆρχε καὶ τῷδε [βασιλέως ἦν ἀδελφός]*[2]). *ἐκεῖνος μὲν οὖν καὶ διὰ τῆς Βιθυνίας δορυφορούμενος ἐχώρει καὶ εἶδον ἀλλήλω.* — Deinde ne propter ea quidem verba quae ipso hoc loco quem tractamus extant *quod a M. fundo in C. posito ad Asiam demigrarat* fieri potest, ut Ammianus Gallum in orientem proficiscentem Constantinopoli cum fratre convenientem faciat, cum secundum ipsius Ammiani verba a fundo Macelli statim devenerit Nicomediam. — Restat igitur unum id, ut hoc loco Julianus Gallum ex oriente redeuntem Constantinopoli vidisse dicatur. Quod ne statuamus, rursus ipsius Juliani verbis impedimur qui l. c. p. 273 A aperte dicit posteaquam Gallus ad orientem pervenerit se eum non iam vidisse.[3])

En undique difficultatibus circumsaepti sumus maximis quaeque vix solvi posse videantur. Attamen possunt, dum-

---

[1]) epist. ad. S. P. Q. Atheniensem p. 272 D *ἐμὲ δὲ ἀφῆκε μόγις ἑπτὰ μηνῶν ὅλων ἑλκύσας τῇδε κἀκεῖσε καὶ ποιησάμενος ἔμφρουρον* etc.

[2]) Haec verba ut glossema esse delenda videntur.

[3]) *καίτοι μὰ τοὺς θεοὺς οὐδ' ὄναρ μοι φανεὶς ἀδελφὸς ἐπεπράχει. καὶ γὰρ οὐδὲ συνῆν αὐτῷ οὐδὲ ἐφοίτων οὐδὲ ἐβάδιζον παρ' αὐτὸν, ὀλιγάκις δὲ ἔγραφον καὶ ὑπὲρ ὀλίγων.*

modo persuadeamus nobis — cuius rei indicium etiam lacuna illa videtur esse hians inter *doctrinarum* et *per* — hoc loco confusionem aliquam verborum factam esse ac sic putemus ab Ammiano scriptum esse *quod a Macelli fundo in Cappadocia posito Constantinopolim demigrarat liberalium desiderio doctrinarum ac per Asiam transeuntem viderat fratrem.*

XV 4, 8. Enarrat scriptor quomodo Arbetio magister equitum a Constantio ad bellum Alamannis inferendum missus in barbarorum insidias inciderit: *in occultas delatus insidias stetit immobilis malo repentino perculsus.* [lac. 9 litt.] *visi e latebris hostes exiliunt et sine parsimonia quicquid offendi poterat telorum genere multiplici configebant.* Non recte fecit Gardthausenus quod non explevit lacunam in V° relictam, cum quid sententia postulet non sit in obscuro.

Scribendum est *in occultas delatus insidias stetit immobilis malo repentino perculsus*: *<impro>visi*[1]) *e latebris hostes exiliunt* etc. cf. e. gr. XVII 10, 3.

XV 5, 12. Dynamius quidam, cum a Silvano pedestris militiae rectore commendaticias accepisset litteras, litterarum contextu absterso solaque subscriptione incolumi relicta longe alia superscripsit, quibus Silvanus ut principalem adfectans dignitatem argueretur. Fraus tamen Malarichi cuiusdam opera patefacta est. *hisque cognitis statuit imperator dispicientibus consistorianis et militaribus universis in negotium acriter inquiri*[2]) *cumque iudices assedissent*[3]), *Florentius Nigriniani filius agens tunc pro magistro officiorum contemplans diligentius scripta apicumque pristinorum reliquias quasdam reperiens animadvertit, ut factum est, priore textu interpolato longe alia quam dictarat Silvanus, ex libidine*

---

[1]) an *<subito> visi?* cf. e. gr. XXVIII 5, 6; XXXI 9, 4; XXXI 11, 4.

[2]) sic Bentleius pro *praeterinquiri.* cf. Mus. Rhen. N. S. XXXIII p. 472 sq.

[3]) sic Madvigius (advers. III p. 253) pro *fastidissent.*

consarcinatae falsitatis adscripta. Diu conatus intellegere non intellexi quid esset *consarcinata falsitas.* Velim autem conferas XV 5, 5 *hunc fascem ad arbitrium figmenti compositum* pauloque inferius *astu callido consarcinata materia* et XVI 1, 3 *quod non falsitas arguta concinnat* (vide etiam XIV 5, 6; XIV 9, 2; XVI 8, 4). Equidem luce clarius esse puto hoc quoque loco scribendum esse *animadvertit, ut factum est, priore textu interpolato longe alia, quam dictarat Silvanus, ex libidine* c o n s a r c i n a t a *falsitatis adscripta.*

XV 5, 31. *Firmatoque itaque negotio per sequestres quosdam gregarios obscuritate ipsa ad id patrandum idoneos praemiorum exspectatione accensus* (V *accensos*, corr. Meyerus Spirensis) *solis ortu iam rutilo subitus armatorum globus erupit atque, ut solet in dubiis rebus audentior, caesis custodibus regia penetrata Silvanum extractum aedicula, quo exanimatus confugerat, ad conventiculum ritus Christiani tendentem densis gladiorum ictibus trucidarunt.* Sic vulgo legitur. At fieri non potest ut Silvanus a manu illa aedicula extractus ad conventiculum ritus Christiani tetenderit, neque enim credibile est milites eum, cum semel cepissent, rursus effugere passos esse. Immo res se ita videtur habuisse: Silvanus de imminente periculo certior factus ad conventiculum ritus Christiani effugere conatus est, quod cum adsequi non posset exanimatus sese in aediculam illam abdidit. Itaque Ammiani verba sic emendanda sunt *Silvanum extractum aedicula, quo exanimatus confugerat ad conventiculum ritus Christiani* t e n d e n s, *densis gladiorum ictibus trucidarunt.*

XV 5, 36. *Tantumque abfuit laudare industrie gesta, ut etiam quaedam scriberet de Gallicanis intercepta* (*interceptis* Meyerus Spirensis) *thesauris, quos nemo attigerat; idque scrutari iusserat artius, interrogato Remigio* e. q. s. Scribendum mihi videbatur esse *idque scrutari iusserat* a l t i u s [1])

[1]) *altus* et *artus* e. gr. etiam XVII 12, 7 falso inter se commutata sunt.

cf. Tac. histor. I 7 *an ne altius scrutaretur*; Amm. XX 5, 2 *alte contemplari*; XXVI 1, 11 *alte considerare*; Plin. ep. V 14, 5 *altissime inspicere*; Apul. met. VIII 18 *altius quiritare* e. q. s. s. Sed monuit me Meyerus Spirensis de quaestione iudiciaria vix apte dici *scrutari altius*, cum nemo nisi Remigius accusaretur, contra verbum *interrogato (= accusato)* egere adminiculo *acrius*.

XV 7, 3. *Diebusque paucis secutis cum itidem plebs excita calore quo consuevit, vini causando inopiam, ad Septemzodium convenisset celebrem locum, ubi operis ambitiosi Nymphaeum Marcus condidit imperator, illuc de industria pergens praefectus ab omni toga apparitioneque rogabatur enixius, ne in multitudinem se adrogantem inmitteret et minacem, ex commotione pristina saevientem: difficilis ad pavorem recte tetendit adeo, ut eum obsequentium pars desereret licet in periculum festinantem abruptum.* In verbis quae exscripsi secutus Gardthausenum, Wilamowitzius suasit ut corrigerem *Septizonium;* sed sufficit fortasse scripsisse *Septizodium*, quae nominis forma saepius occurrens (cf. Hülsen Septizonium 34; Jordan Forma Urbis Romae 37 et „Topographie der Stadt Rom im Alterthum“ II 511 [1]) nescio an Ammiano quoque tribui possit. Sed aliud etiam restat corrigendum. Totam enim orationem non bene procedere ipse Gardthausenus sensisse videtur, cum post *saevientem* poneret colon. Neque vero tali interpunctione quidquam lucramur. Si protasin usque ad *imperator* pertinere vis, ante *difficilis* necessario particula *sed* inserenda est; sin vero, id quod mihi quidem praeplacet, apodosin incipere putas a vocabulo *difficilis*, facere non poteris quin pro *illuc* scribas *illucque*. De

---

[1]) Erravit Jordanus cum diceret in Ammiani codd. inesse *Septizodium.* Extat vocabulum apud Ammianum uno hoc loco quem tractamus, ibique et Eyssenhardtio et Gardthauseno teste V praebet quod supra dedi *Septemzodium*, ex quo *Septemzonium* fecit Petr. Castellus.

coniunctivi et indicativi variatione cf. Haupt. opusc. II p. 496; Ehrismann. l. c. p. 44.

XVI 8, 8. *Tunc illud apud Aquitanos evenit quod latior fama vulgarat. Veterator quidam ad lautum convivium rogatus et mundum, qualia sunt in his regionibus plurima, cum vidisset linteorum toralium par, duos clavos ita latissimos ut sibi vicissim arte ministrantium cohaererent, mensamque operimentis paribus tectum, anteriorem chlamydis partem utraque manu vehens intrinsecus structuram omnem ut amictus adornaverat principalesque res patrimonium dives evertit.* En narratio quam non temere Hauptius nominavit obscuram quamque ne Cornelissenus [1]) quidem, cum pro *anteriorem chlamydis partem utraque manu vehens intrinsecus* coniceret scribendum esse *exteriorem velaminis partem utraque manu vertens intrinsecus* mihi plane reddidisse dilucidam videtur. Unum id nostro iure colligere videmur delatorem istum purpureis illis toralium clavis singulari quodam modo complicatis speciem effecisse purpureae, qua soli principes uti debebant. Itaque unum mihi Petavii Hauptiique emendationi, qui pro *principalesque* scripserunt *principales, quae* addendum videtur esse atque sic corrigendum *structuram omnem ut amictus adornaverat p r i n c i p a l i s, quae res* etc. Veterator talem formavit structuram, qualis est structura amictus principalis.

XVI 10, 4. Exponit scriptor quomodo Constantius Romam proficiscens in itinere a populo habitus sit. *Transcurso Ocriculo elatus honoribus magnis stipatusque agminibus formidandis tamquam acie ducebatur instructa, omnium oculis in eo contuitu pertinaci intentis.* Dicitur *intentum esse* aut *alicui rei*, cf. e. gr. XXI 2, 4; 10, 1; XXIV 4, 17; XXXI, 11, 5, aut *ad (in) aliquid* sive *aliquem*, cf. e. gr. XXI 4, 1; XXVIII 1, 55, neque vero unquam *in aliquo* sive *in aliqua*

---

[1]) Mnemos. N. S. XIV p. 244.

re.[1]) Scripsit igitur Ammianus hic quoque *Omnium oculis in eum contuitu pertinaci intentis.* cf. XXII 2, 4 *stipatusque armatorum et togatorum agminibus velut acie ducebatur instructa omnium oculis in eum non modo contuitu destinato sed cum admiratione magnu defixis.* Ortum est mendum vocabulo *eum* per errorem eis verbis quae sequuntur accommodato.

XVI 12, 3. *Cuius* (sc. Scutarii perfugae) *adseveratione eadem subinde replicantis ad maiora stimulati fiducia missis legatis satis pro imperio Caesari mandaverunt* (sc. Alamanni) *ut terris abscederet virtute sibi quaesitis et ferro.* Male se habent duo ablativi ad participium *stimulati* referendi; neque tam fiducia ad maiora Alamanni stimulati sunt quam Scutarii verbis effectum est, ut maiora auderent. Itaque nisi pro *stimulati* reponere mavis *stimulata*, sic potius scribendum est *cuius adseveratione eadem subinde replicantis ad maiorem stimulati fiduciam* etc. — Paulo aliter se res habet XXIX 6, 14 *quo intellecto Sarmatae sagacissimi non expectato certandi signo sollemni Moesiacam primam incessunt, dumque milites arma tardius per tumultum expediunt interfectis plurimis aucti fiducia aciem perrupere Pannonicam*, ubi verba *interfectis plurimis* arte cohaerere videntur cum eis quae praecedunt, *aucti fiducia* vero per se stat. Quamquam hoc quoque *aucta fiducia* magis placeret. cf. XXI 3, 3 *cuius interitu erecta barbarorum fiducia Romanisque ad ducis vindictam accensis certamen committitur obstinatum* et XXXI 10, 13 *qui ea re animorum aucta fiducia .... montes scandere nitebantur.*

XVI 12, 11. *Iam dies in meridiem vergit, lassitudine nos itineris fatigatos scrupulosi tramites excipient et obscuri ...... quae si dederit quisquam commode posse transiri,*

[1]) Nam Caes. B. G. III 22 *atque in ea re omnium nostrorum intentis animis*, quem locum fortasse quispiam contra adferat, verba *in ea re* non est cur ab adiectivo *intentis* dependere sumamus.

ruentibus hostium examinibus post otium cibique refectionem et potus, quid nos agimus? Non sufficit verbum ruendi. Scribendum est *commode posse transiri,* <*ir*>*ruentibus hostium examinibus* etc.

XVI 12, 37. *caelumque exultantium cadentiumque resonabat a vocibus magnis.* Praepositio *a* ex constanti non solum aliorum scriptorum sed etiam Ammiani dicendi ratione delenda est. cf. XIV 6, 18 *paucae domus . . . . vocali sonu, perflabili tinnitu fidium resultantes;* XVII 7, 4 *reclangentibus cunctis sonitu ruinarum immenso;* ibid. *inter quae clamoribus variis celsa culmina resultabant;* XIX 2, 11 *resultabant altrinsecus exortis clamoribus colles* (vide etiam Plaut. Amph. I 1, 78; Catull. LXIII 82; Verg. Ecl. II 13, Aen. IV 668, V 150. 228, VIII 305, XII 607; Horat. carm. III 10, 5 sq.; epod. 10, 19 sq; Ovid. met. III 231; Manil. V 424 sq.; Plin. panegyr. 73); XXXI 12, 13 *relucente amplitudine camporum incendiis* (vide etiam Ovid. met. XI 617 sq.; Verg. Aen. II 312; Sil. Ital. XII 732; Claud. rapt. Proserp. IV 115; Cic. nat. deor. II 44; Plin. panegyr. 52) e. q. s. s.[1]

XVI 12, 64. Narratur quibus honoribus Julianus imperator Alamannis apud Argentoratum devictis a militibus ornatus sit. *Tunc Julianus ut erat fortuna sui spectatior meritisque magis quam imperio potens Augustus adclamatione concordi totius exercitus appellatus ut agentes petulantius milites increpabat, id se nec sperare nec adipisci velle iurando confirmans.* Verba *ut erat fortuna sui spectatior* a commentatoribus diversissime explicata sunt. Atque Wagnerus[2]) quidem ita ea intelligit, ut sint «quod nostri dicunt: er übertraf sich selbst, Graeci

---

[1]) Locus Catulli LXIV 275 *purpureaque procul nantes a luce refulgent* (sc. undae) paulo aliter comparatus est neque huc facit.

[2]) ed. tom. II p. 240 sq.

κρείττων ἑαυτοῦ.» Sed nunquam Ammianus pro ablativo comparationis qui dicitur Graeco more genitivum usurpat, neque exempla quae adfert Wagnerus XIV 11, 15 *sui fiducia . . . locati* et XXXI 7, 9 *ob iustiorem sui causam* ad hanc ipsius explicationem quidquam faciunt. Aliter iudicat Erfurdtius [1]) qui *sui* cum *fortuna* coniungit et *fortuna* ablativum comparativum esse censet, ut dicere voluerit Ammianus «ut erat virtute sua quam externa conditione insignior.» Sed hoc prorsus videtur ineptum. Etenim ut quis verba *fortuna sui* ad «externam condicionem» referri posse concedat, tamen quod cogitatione Erfurdtius supplevit «virtute sua» in sententia tam obscure expressa minime suppleri potest. Recta interpretandi via nobis monstratur eis verbis quae sequuntur *meritisque magis quam imperio potens*, quae merita quin eodem modo quo fortuna illa ad Argentoratensem pugnam brevi ante uberius descriptam referenda sint, dubitatio vix esse potest. Dicit igitur Ammianus Julianum Alamannis fusis fugatisque spectatiorem fuisse apud milites quam antea, ubi non tam meritis quam imperio aliquid valuerit. Sed quid sibi vult mirum illud *sui?* Ad tuendum genitivum adferunt nobis locum illum iam supra commemoratum XXXI 7, 9 *contra Romani his cognitis ipsi quoque exsomnes verebantur hostes et male sanos eorum ductores ut rabidas feras, eventum licet ancipitem ut numero satis inferiores, prosperum tamen ob iustiorem sui causam mentibus exspectantes impavidis.* Neque vero is multum valet, cum Ammianus ibi *ob iustiorem sui causam* et non *ob iustiorem suam causam* ideo dixisse videatur, ut quid interfuisset inter Gothos et Romanos maiore quadam vi pronuntiaret. Contra eo loco quem hic tractamus pronomen quod est *suus* omitti non solum potuit sed etiam debuit, cum de aliorum hominum fortuna omnino non agatur. Praeterea si quid recte sentio altero illo loco genitivus *sui* eo multo fit tolerabilior quod praeterea adiectivum *iusti-*

---

[1]) ed. tom. II p. 240 sq.

orem additum est. Quae cum ita sint non dubito quin *sui* corruptum sit et sic ab Ammiano scriptum fuisse conicio: *Tunc Julianus ut erat fortuna* *suis* (= apud suos) *spectatior meritisque magis quam imperio potens* etc. Continent igitur verba *ut erat fortuna suis spectatior* sqq. causam, cur Julianus Augustus appellatus sit.

XVII 4. Agit hoc capite Ammianus de obelisco Lateranensi, qui posteaquam a Constantino Magno in Italiam devectus a Constantio in circo constitutus est, denuo erectus est a Sixto V papa anno p. Chr. n. 1588. Tecta sunt latera eius notis hieroglyphicis, quibus explicandis ut nostra aetate sic etiam antiquis temporibus fuisse qui operam darent ex fragmento apparet, quod desumptum ex Hermapionis libro notas illas Graeco sermone interpretantis Ammianus in verborum ordinem recepit. Verba quae si a primis etiam in V⁰ et Petrino extantibus discesseris una Gelenii editione nobis servata sunt, quod veram notarum illarum significationem attinet, non nulla nobis in dubio, ne dicam obscuro, relinquunt. Tamen ad Hermapionis fragmentum restituendum pauca nobis posse addere videmur. — Primus stichus continet haec (§ 18): *Λέγει Ἥλιος βασιλεῖ Ῥαμέστῃ· δεδώρημαί σοι ἀνὰ πᾶσαν οἰκουμένην μετὰ χαρᾶς βασιλεύειν, ὃν Ἥλιος φιλεῖ [καὶ] Ἀπόλλων κρατερὸς φιλαλήθης υἱὸς Ἥρωνος, θεογέννητος κτίστης τῆς οἰκουμένης, ὃν Ἥλιος προέκρινεν, ἄλκιμος Ἄρεως βασιλεὺς Ῥαμέστης, ᾧ πᾶσα ὑποτέτακται ἡ γῆ μετὰ ἀλκῆς καὶ θάρσους· βασιλεὺς Ῥαμέστης Ἡλίου παῖς αἰωνόβιος.* Ex verbis inde ab *Ἀπόλλων κρατερός* usque ad *Ῥαμέστης* patet eundem cogitari Apollinem et Ramestem qui vocatur. Idem ex verbis tertii stichi (§ 20) *Ἀπόλλων κρατερὸς υἱὸς Ἥρωνος βασιλεὺς οἰκουμένης Ῥαμέστης* luculentissime apparet. Recte igitur Odofredus Mueller particulam *καί*, quam uncis seclusi, delevit et post *φιλεῖ* gravius interpunxit. Sed eadem via progressi etiam in quinto sticho aliquid mutare cogimur. Cuius verba sunt haec (§ 22): *Ἥλιος θεὸς δεσπότης οὐρανοῦ Ῥαμέστῃ βασιλεῖ· δεδώρημαι τὸ κράτος καὶ τὴν*

κατὰ πάντων ἐξουσίαν. ὃν Ἀπόλλων φιλαλήθης δεσπότης χρόνων καὶ Ἥφαιστος ὁ τῶν θεῶν πατὴρ προέκρινεν διὰ τὸν Ἄρεα. βασιλεὺς παγχαρὴς Ἡλίου παῖς καὶ ὑπὸ Ἡλίου φιλούμενος. Praeceperim scribendum esse *δεδώρημαί σοι κράτος καὶ τὴν κατὰ πάντας* etc., cf. § 18 *δεδώρημαί σοι ..... βασιλεύειν* et § 21 *δεδώρημαί σοι .... βίον ἀπρόσκοπον* (G *ἀπρόςκορον*, corr. Dindorf.). Persona cui Helius se *κράτος* i. e. robur dedisse dicat necessario requiritur. Deinde cum Apollo et Ramestes idem sit, facile intellegimus non posse dici ab Apolline Ramestem ceteris praelatum esse. Itaque cum pronomen *ὃν* quo loco legitur ferri non possit collatis §§ 18, 20, 23, ubi idem Apollo praelatus nominatur ab Helio, sic initium § 22 legendum esse arbitror: *Ἥλιος θεὸς δεσπότης οὐρανοῦ Ῥαμέστῃ βασιλεῖ· δεδώρημαί σοι κράτος καὶ τὴν κατὰ πάντων ἐξουσίαν. Ἀπόλλων φιλαλήθης δεσπότης χρόνων ὃν καὶ Ἥφαιστος ὁ τῶν θεῶν πατὴρ προέκρινε διὰ τὸν Ἄρεα.* — Difficultatem deinde praebent ultimi stichi verba ultima (§ 23) *καὶ ὁ παμφεγγὴς συγκρίνας αἰώνιον βασιλέα.* Agitur hoc quoque loco de Apolline illo, qui quomodo *αἰώνιον βασιλέα συγκρίνειν* i. e. coniungere dici possit non intellego. Collata vero § 20, ubi de Apolline Rameste dicitur *ὃς ἐφύλαξεν Αἴγυπτον τοὺς ἀλλοεθνεῖς* (G *τοῦ ἄλλου ἔθνους*, corr. Valesius) *νικήσας* et brevi ante *οὗ τὰ ἀγαθὰ ἐν παντὶ διαμένει καιρῷ* (cf. etiam §§ 18 et 19) sic scribendum esse arbitror *ὁ παμφεγγὴς καὶ συγκρίνας αἰώνιον βασιλείαν.* — Duo addo leviora. In paragrapho enim 20 sic ab Hermapione scriptum fuisse opinor *ᾧ οἱ θεοὶ ζωῆς* <*πολὺν*> *χρόνον ἐδωρήσαντο* et paucis versibus inferius *ᾧ πολὺν χρόνον ζωῆς ἐδωρήσαντο* <*οἱ*> *θεοί.* Priorem correctionem flagitat sententia, posteriorem commendat § 20 *οἱ θεοί*, § 22 *τῶν θεῶν*, § 23 *οἱ θεοί.*

XVII 13, 23. Agitur de Sarmatis Limigantibus a Constantio superatis: *et qui animas amittere potius quam cogi solum vertere putabantur, dum licentem amentiam libertatem existimarent, parere imperiis et sedes alias suscipere sunt*

adsensi tranquillas et fidas, ut nec bellis vexari nec mutari (*motari* Bentleius) *seditionibus possint.* Non plane intellego quomodo sedes fidae appellari possint. Verisimile videtur scripsisse Ammianum *tranquillas et fixas.* cf. XXXI 2, 10.

XVIII 5, 8. *His ac talibus subinde inter epulas sobrius perfuga, ubi de apparatu bellorum et seriis rebus apud eos Graiorum (gratorum* V, *Dareorum* Wilamowitzius coll. Herodot. I 133) *more veterum consultatur, regem incendebat ardentem, ut exacta hieme statim arma fretus fortunae suae magnitudine concitaret, ipse in multis ac necessariis operam suam fidenter promittens.* Non est opus cum Bentleio pro *fidenter* scribas *fideliter*, cf. XIX 1, 7 *ideoque . . . rex Chionitarum Grumbates fidenter suam operam navaturus tendebat ad moenia*, et XXI 5, 7 *at vos ex more fidentium ducum iuramento quaeso concordiam spondete.* Contra miror neminem adhuc offendisse in verbis *regem incendebat ardentem*, neque enim si ardebat Sapor rex, eum a perfuga illo incendi opus erat. Aliter res comparata est XIV 5, 5 *et exitiale hoc vitium, quod in aliis non nunquam intepescit, in illo aetatis progressu effervescebat, obstinatum eius propositum accendente adulatorum cohorte*, quibus verbis nihil aliud significatur nisi Constantii animum per se ad asperitatem propensum ab adulatoribus etiam magis incitatum esse. Accedit id quoque discrimen, quod eo loco quem nos tractamus, in duobus illis verbis, incendendi et ardendi, plane eadem inest imago, qua quidem re cum incendendi verbo ne minima quidem efficiatur gradatio, sententia prorsus fit intolerabilis. — Neque prolepsis quae vulgo nominatur in his verbis putanda est inesse, cuius notissimum exemplum est Ovidii illud (metam. III 76) *vitiatas inficit auras.* Ea enim dicendi ratio ad poetas pertinet et vereor ut si Ammianum perlegas apertum eius exemplum invenias. Certe ne hoc loco prolepsin illam statuamus, etiam eis verbis quae sequuntur *ut exacta hieme statim arma fretus fortunae suae magnitudine concitaret* etc. utique vetamur. Tollitur offensio

eaque quam unusquisque desiderat sententia efficitur, si lenissima adhibita medela ita scribimus *regem incendebat tardantem* etc. cf. XXIV 6, 11 *incitareque tardantes.*

XVIII 7, 6. *Dum campi cremantur, ut dictum est, tribuni cum protectoribus missi citerioris ripas Euphratis castellis et praeacutis sudibus omnique praesidiorum genere communibant, tormenta quarum erat voraginosum locis oportunis aptantes.* Sic V, nisi quod praebet *ceterioris* et *eufrates.* Gardthausenus cur ediderit *citerioris ripae Euphratis castella et praeacutis sudibus* etc. equidem non intellego. Neque enim aut in plurali *ripas* haerendum est (cf. e. gr. XVI 12, 57 *ad ripas ulteriores* (sc. Rheni) . . . *pervenire;* XVII 13, 15 *ripas ulteriores occupare posse sperantes)*, aut quod castella praeacutae sudes omne praesidiorum genus continuo tenore commemorantur quidquam habet in se offensionis. Sed alio vitio editiones liberandae sunt. Iniuria enim ab omnibus Gelenii coniectura pro *quarum* scribentis *qua non* recepta est, qui nisi in edendo nimis festinasset procul dubio invenisset emendationem qua nulla est certior *qua<pa->rum erat voraginosum*, i. e. ubi non tanti in flumine erant gurgites, ut his solis ne transirent hostes impedirentur.

XVIII 7, 7. Vituperat scriptor Sabinianum ducem, quod bello urgente in bustis Edessenis histrionicarum vice saltationum militum pyrrhica delectatus sit *ominoso sane et incepto et loco, cum haec et huius modi factu dictuque tristia futuros pronuntiant motus vitare optimum quemque debere saeculi progressione discamus.* Verba *futuros pronuntiant motus* quae frustra aliquis defendere conatus sit, Valesio videbantur glossema esse, et sane concedi potest ea sine ullo sententiae incommodo omitti posse. Sed praeterquam quod sic uti sunt vix ea quemquam margini adscripturum fuisse verisimile est, memores esse debemus amare Ammianum latitudinem quandam atque abundantiam dicendi. Itaque mihi quidem multo magis e ratione esse videtur, si leni mutatione

ita verba correxerimus *cum haec et huiusmodi factu dictuque tristia futuros praenuntiantia*[1]) *motus vitare optimum quemque debere saeculi progressione discamus.* cf. XIV 12, 20 *nascuntur huiusmodi saepe portenta indicantia rerum variarum eventus.*

XIX 1, 5. (Sapor) *portis obequitabat comitante cohorte regali, qui dum se prope confidentius inserit, ut etiam vultus eius possit aperte cognosci, sagittis missilibusque ceteris ob decora petitus insignia corruisset, ni* etc. Serendi verbum aptum non est, cum Romani in moenibus, non ante portas sint. Uno apice deleto scripserim *qui dum se prope confidentius infert.*[2]) cf. XXXI 16, 4 *quos inferentes sese immodice obicesque portarum paene pulsantes hoc casu caeleste reppulit numen.*

XIX 2, 15. Describit Ammianus quae mala post proelium ante Amidae portas commissum in ipsa urbe Romani perpessi sint. In codd. extant haec: *medebatur ergo suis quisque vulneribus pro possibilitate vel curantium copia, cum quidam graviter saucii cruore exhausto spiritus reluctantes efflarent, alii confossi mucronibus prostrati curam animis in ventum solutis proiciebantur extincti.* Postrema verba corrupta esse nemo non videt. Quod vero coniecit Valesius *prostrati coram* et ego quid sibi velit me non intellegere fateor neque Eyssenhardtius aut Gardthausenus intellexisse videntur, quippe qui in ordinem verborum receperint coniecturam Joannis Hermanni pro *curam* scribentis *in ora.*[3]) Sed quamquam Hermannus numquam credit futurum esse

---

[1]) pro *pronuntiant* scribendum esse *praenuntiant* iamdudum intellectum erat.

[2]) Recte inserendi verbum legitur XIV 6, 15 *mercede accepta lucris quosdam et prandiis inserunt*, unde etiam XXX 1, 19 *se eius conviviis inserens* (codd. *ingerens)* legendum esse facile aliquis suspicatus sit.

[3]) Observationes criticae Ammianeae. diss. Bonn. 1865. p. 17.

ut quod certius sit quisquam proponat, ego a me non possum impetrare ut ei adstipuler. Praeterquam enim quod verba illa *in ora* satis videntur superflua esse, unusquisque videt molestum esse *extincti* cum praecedat quod prorsus idem significet *animis in ventum solutis*, e quibus, si revera id scripsisset Ammianus quod coniecit Hermannus, alterum utique debebat omittere. Itaque locus sane corruptissimus alio modo videtur sanandus esse. Ut Hermannus ego quoque lubenti animo confiteor certis argumentis me veram Ammiani manum adsecutum esse non posse a me demonstrari; tamen sententia evadit qua nulla est aptior, si eum ita scripsisse putamus *alii confossi mucronibus prostrati non iam animis in ventum solutis proiciebantur <ut> extincti.*

XIX 5, 8. Romani Amidae inclusi in summum periculum atque discrimen adiguntur perfidia transfugae alicuius, quo ductante septuaginta Persarum sagittarii occulta abruptaque via usi noctu turri potiuntur altissima. E qua ubi luce orta suis signum dederunt, et ipsi sagittarii Romanos vi telorum obruere incipiunt et ei qui extra moenia sunt summo impetu contra urbem accedunt. Neque tamen Romani animos demittunt: ballistis aliquot in turrim directis primum sagittarios aut interficiunt aut cogunt ut praecipites sese e celso deiciant. Deinde tela in eos hostes convertunt, qui extrinsecus accedunt: *et quoniam augebat curas militum scelestum facinus perfugae, quasi decurrentes in planum ita iaculantes diversa missilia lacertis fortibus incumbebant, ut vergente in meridiem die gentes vulnerum acri repulsa disiectae, lacrimantes complurium mortes, tentoria repeterent metu.* Militum *curae* perfugae facinore vix auctae erant, nisi quod turrim illam iam diligentius custodire debebant. Omnino curae exercitus, sive eas de officiis cotidianis sive de timore aliquo hostium intellegimus, nihil valebant, ut in iaculando tam fortibus uterentur lacertis. Mihi Ammianus id potius videtur dicere voluisse Romanorum animos transfugae perfidia irritatos exacerbatosque fuisse, ita ut solito vi maiore tela coni-

cerent. Quod si verum est, apparet non *curas* sed *iras militum* scribendum esse (pluralem *irae*, notissimum ex poetis, apud Ammianum legis XXV 2, 5; XXVI 9, 3; XXX 5, 10 et saepius).

XIX 8, 2. Romani ubi Persas Amidam obsidentes machinis exustis, unde tela conicerent celsos aggeres erigere viderunt, ipsi intrinsecus prope ad moenia parem extruunt molem indeque missilia iaculantur. Sed nescio qua causa quassatus agger ille Romanorum concidit, quo fit ut totum spatium quod inter moenia et Persarum moles interest quasi ponte superstrato complanetur. *Moles illa nostrorum velut terrae quodam tremore quassata procubuit et tamquam itinerario aggere vel superposito ponte complanatum spatium, quod inter murorum congestamque forinsecus struem hiabat, praefecit hostibus transitum nullis obicibus impeditum.* Pro *praefecit*, quod explicari nullo modo potest, Gelenius edidit *patefecit*, qua coniectura num verum adsecutus sit dubito. Quis enim est transitus ille? Nempe is qui paratus est a Persarum aggere in moenia Romanorum interhiante lacuna iam molis Romanae ruinis expleta. Itaque non video quomodo mole illa collapsa transitus (i. e. „Übergang", non „Durchgang") patefactus esse dici possit. Tantum enim abest ut ruina illa quidquam aperiatur itaque auferatur, ut quod ante erat vacuum expleatur. Apage ergo illud *patefecit* exque coniectura aut Meyeri Spirensis *perfecit* aut mea *praebuit* reponas.

XX 4, 6. Constantius cum Juliani gloriae invideret ei magnam partem militum subtraxit. Quo facto Julianus quid facere deberet ambigens Florentium magistrum equitum frumenti comparandi specie, revera autem ut eximeret se militum tumultui, quem illo imperatoris mandato erupturum esse praeviderat, Viennam profectum litteris missis adhortatus est, ut quam celerrime rediret, *adiectumque est quod si procurare dissimulasset ipse propria sponte proiceret insignia principatus.* Ineptum est illud *procurare*, neque enim quid

procurare iubeatur Florentius facile perspicies, nedum supplebis. Itaque et Bentleius[1]) et Gardthausenus insistentes vestigiis Valesii, qui coniecturam in codice Regio suprascriptam *procurrere* probaverat, *procursare* scribi voluerunt. Sed ne hoc quidem aptum est. *procursare* enim sive *procurrere* vel hoc vel quolibet loco idem esse posse atque quod explicat Wagnerus[2]) «*in conspectum venire, ad comitatum redire*» mihi demonstrari velim. Apud Ammianum certe nusquam ea significatio invenitur ac vereor, ut omnino inveniatur. Scripsit autem, ni omnia me fallunt, Marcellinus *si properare dissimulasset* i. e. nisi velociter rediret. cf. praeter ea quae in ipsa hac paragrapho praecedunt *ut venire adceleraret* XXI 13, 3 *pedestris equestrisque militiae magistros cum agminibus maximis properare coegit;* XIV 11, 6 *restabat ut Caesar post haec properaret accitus*; XXVI 7, 3 *qui dum itineribus properat magnis.*

XX 8, 12. Julianus ad Constantium cum alia scribit tum haec *ignosce enim: quae cum ratione poscuntur non tam fieri cupio quam a te utilia probari et recta, avide tua praecepta deinde quoque suscepturus.* Videtur corrigendum esse *quam a te* <*ut*> *utilia probari et recta.*

XX 11, 23, Romani Bezabden urbem obsidentes cum diu res ancipiti gessissent eventu, sublimes erexerunt aggestus binasque in eis collocaverunt ballistas, ut ne prospicere quidem de moenibus quisquam hostium auderet. Tamen Persae eruptione facta strictis gladiis Romanos adgressi sunt, pone aliis cum flammis sequentibus qui opera illa incenderent. *Dumque Romani nunc instant cedentibus nunc ultro incessentes excipiunt, qui vehebant foculos repentes incurvi prunas unius aggesti inseruere iuncturis ramis arborum diversarum et iunco et manipulis constructi cannarum, qui conceptis incendiorum*

---

[1]) Mus. Rh. N. S. XXXV p. 339.

[2]) ed. tom. II. p. 336.

aridis nutrimentis iam cremabantur militibus cum intactis tormentis exinde periculose digressis. — Miror in loco quem exscripsi neminem adhuc offendisse, qui quidem mihi videtur inter corruptissimos esse. Pronomen *qui*, quod legitur post *cannarum*, tantum ad ramos iuncum cannarum manipulos referri potest. Quo si referimus, primum verba *conceptis incendiorum aridis nutrimentis* explicari non possunt. Quid enim significat illud *conceptis?* An idem fere quod *receptis?* At id quod recipitur prunae sunt, i. e. candentes carbones, qui incendiorum arida nutrimenta appellari nullo modo possunt, neque recipiuntur ramis iunco etc. sed iuncturis aggesti illius. An *conceptis* idem est atque *incensis?* Ne haec quidem explicatio ferri potest; dicitur enim *aliquid ignem concipere* (cf. e. gr. § 18) neque vero *ignis aliquid concipere.* Itaque cum id maxime tenendum sit per arida incendiorum nutrimenta hoc loco nihil nisi illos ramos iuncum etc. intellegi posse, quae revera ignem concepisse aliquo modo dicta esse necessarium sit, vocabulum *conceptis* corruptum non esse non potest. Deinde si rationem grammaticam spectamus id quoque apparet, cum incendiorum nutrimenta illa sint rami iuncus etc. fieri non posse ut eidem rami iuncus etc. subiectum eius enuntiati efficiant, cuius praedicatum est *cremabantur.* Atqui efficiunt, si retinemus vocabulum *qui*, quod nisi ad ramos iuncum etc. non potest referri. Denique non parvam mihi suspicionem movet particula *iam*, quae plane est supervacanea. Minime enim spectat ad id quod sequitur *militibus cum intactis tormentis exinde periculose digressis*, quibus verbis prorsus novi aliquid adiungitur narratione simpliciter progrediente. — Vides igitur satis multas in verbis illis inesse offensiones quae num uno remedio tolli possint ego quidem valde dubito. Cogitare aliquis potuerit mutandum esse *quod* (sc. *aggestum*, quam formam tuentur verba XIX 8, 1 *ex adgestis erectis) correptis .... iam cremabatur*, sed remaneret non solum illud *iam* non sanatum, verum etiam *correptis* non addito *igni* sive *flamma* tolerari vix posset. Praeterea illud *cremabantur*, quod per se nihil habet offensionis, subiectum pluralis numeri

flagitare videtur, cum parum verisimile sit interpolatorem aliquem, de quo in V° omnino dubito, hanc formam vitioso subiecto *qui* accomodasse. Fortasse pluralis ille nos eo ducit, ut non modo unum illud aggestum sed incendio inde etiam ad cetera perlato haec quoque flammis deleta esse sumamus; quae res inde satis fit verisimilis, quod scriptor § 24 imperatorem eodem vespere diu secum reputasse ait perseveraretne in obsidione an ab ea desisteret, quod eum facturum fuisse uno tantum aggere combusto parum est credibile. — Quae cum ita sint, ego sane medelis usus haud ita lenibus totum locum sic restitui velim . . . . . . *repentes incurvi prunas unius aggesti inseruere iuncturis ramis arborum diversarum et iunco et manipulis constructi cannarum* <*igni-*> *que correptis incendiorum aridis nutrimentis* <*reliqua et*>*iam cremabantur militibus cum intactis tormentis etc.*

XXI 1, 6. *Accidat autem incendebatque eius cupiditatem pacatis iam Galliis incessere ultro Constantium coniciens eum per vaticinandi praesagia multa quae callebat et somnia e vita protinus excessurum.* E mendoso *accidat*, pro quo editores substituerunt *accidebat* aut *accedebat*, Wagnerus [1]) et Madvigius [2]) potius *acuebat* efficiendum esse intellexerunt. Deinde Madvigius recte animadvertit mendum inesse in vocabulo *eius*, neque enim Julianus eius, i. e. Juliani, cupiditatem incendisse dici potest. Quod vero ne suam quidem cupiditatem hominem apte incendere dici contendit homo doctissimus, obvertendum ei est rem hoc loco paulo aliter comparatam esse. Ut enim omittamus illud *eius*, quod intellegi nequit, non simpliciter Julianus cupiditatem suam incendisse dicitur, sed Julianus coniciens Constantium mox e vita excessurum esse, i. e. quod Julianus Constantium mox e vita excessurum esse coniciebat. Itaque cum *Julianus coniciens* idem fere sit atque *Juliani coniectura*, deleto illo *eius* vix esset, quod in

---

[1]) ed. tom. II p. 394.

[2]) advers. crit. III p. 259.

orationis structura reprehenderemus. Id vero quod ipse Madvigius coniecit *acuebat autem incendebatque spes cupiditatem* etc. ideo ferri nequit, quod subiecto quod est *spes*, non recte accommodatur participium *coniciens*, neque enim spes Juliani sed ipse Julianus mortem Constantii e praesagiis somniisque praevidet. Quid igitur faciamus? Ego quidem latere sub vocabulo *eius* adverbium aliquod suspicor et sic fere ab Ammiano scriptum fuisse *acuebat autem incendebatque acrius cupiditatem pacatis iam Galliis incessere ultro Constantium coniciens eum* etc. Wagnerum ne sequar, qui in primis verbis aliquid excidisse arbitratur, eo adducor quod quid excidere potuerit non video.

XXI 4, 7 sq. *Hoc casu elatior Julianus . . . nihil remittentibus curis barbaros adoriri disposuit . . . . . et ne rumor adventus sui eos ad remotiora traduceret, superato Rheno noctis alto silentio cum auxiliorum expeditissimis globis nihil metuentes huius modi circumvenit.* Ineptum est verbum traducendi, cum Germani in ipsa ulteriore Rheni ripa sint. Corrigendum est aut *reduceret* aut <*re*>*troduceret*. Syllaba *re* propter similitudinem earum litterarum, quae praecedunt, facillime excidere potuit.

XXI 5, 11. *Solus omnium licet proposito stabili audacter tamen praefectus repugnavit Nebridius, iuris iurandi nexu contra Constantium nequaquam se constringi posse commemorans, cuius beneficiis obligatus erat crebris et multis.* Intolerabilis videtur tautologia *crebris et multis*, praesertim cum id vocabulum, quod exquisitius est, praecedat sequaturque id, quod magis est detritum. Certe nihil tale unquam ab Ammiano commissum esse memini. Sed satis est detexisse vitium; quid scripserit Ammianus pro certo vix dici poterit, cum utrumque adiectivum mutare possis multifarie. Simplicissimum est *crebris et magnis*.

XXI 8, 4. *Mandabat tamen egressis ut tamquam hoste protinus occursuro tutius graderentur* etc. Cum nondum egressi

sint quibus Iulianus illud mandat, emendandum est *mandabat tamen, egressi ut tamquam* etc.

XXI 16, 6. In praeclara morum Constantii descriptione haec leguntur: *somno contentus exiguo, cum id posceret tempus et ratio, perque spatia vitae longissima impendio castus, ut nec mare ministro saltem suspicione tenus posset redargui, quod crimen etiam si non invenit, malignitas fingit in summarum licentia potestatum.* Verba *ut nec mare ministro* sqq. ab hominibus doctis diversissime temptata sunt. Atque Lindenbrogii coniecturam *ut nec amare ministros . . . posset redargui* non minus ineptam esse scriptura codicum suo iure contendit Hauptius, quem ipsum non fugit locum extare huius prorsus similem in eis quae XXV 4, 3 de Juliano praedicantur: *quam labem* (scil. impudicitiam) *in adulto robore iuventutis ita caute vitavit, ut ne suspicione quidem tenus libidinis ullius vel citerioris vitae ministris incusaretur.* Neque tamen viro doctissimo *citerioris vitae* vel simile quidquam in isto *mare* latere posse visum est. Proposuit igitur *ut nec amaro ministro saltem suspicione tenus posset redargui,* quam coniecturam oppugnavit Madvigius [1]), qui neque *amarus minister* quid sit se intellegere ait neque aut dativum aut ablativum apte orationi accommodari posse. Ac prius illud recte monuisse videtur: malignus ille minister, quem sibi Hauptius finxit, amarus vix appellari potuit. Contra Madvigius si in dativo sive ablativo offendit, non recte offendit, cum saepius Ammianus pro ablativo cum praepositione *a* coniuncto utatur sive dativo sive nudum ablativum esse putes. Ad tempus mihi praesto sunt duo loci, primum ipsa illa verba XXV 4, 3 quae supra exscripsi, deinde XIV 6, 23, ubi ut in codd. legitur *cautionibus,* ita quin cum Bentleio [2]) *cautioribus* scribendum sit dubitari nequit. Plura exempla colligi posse certo scio. Ipse Madvigius sine dubio scribendum esse censet *ut nec rumore*

[1]) Advers. crit. III p. 260.
[2]) Mus. Rhen. N. S. XXXIII p. 471.

ministro saltem suspicione tenus posset redargui, sed ne sine causa rumorem huc inferamus illius alterius loci similitudine mihi quam maxime videtur postulari, cum notissimum sit Ammianum totas sententias nullo fere vocabulo mutato non nunquam repetere. Itaque cum id quod coniecit Bentleius *ut nec citeriore ministro* etc. longius a librorum lectione recedere videatur quam ut probari possit, ita potius corrigendum esse censuerim *ut nec familiari ministro saltem suspicione tenus posset redargui.*

XXI 16, 11. Loquitur scriptor de immanitate atque crudelitate qua vel levissima delicta Constantius vindicaverit. *Et tamquam ex arida silva volantes scintillae flatu leni ventorum ad usque discrimina vicorum agrestium incohibili cursu perveniunt, ita ille quoque ex minimis causis malorum congeries excitabat.* Utrum arida fuerit silva, quam finxit scriptor, necne ad scintillas illas quam minime facit; contra ei aliquo modo exprimendum erat, quo modo omnino factum esset, ut scintillae ex ea profunderentur. Scribendum igitur est *et tamquam ex ardente silva* etc.[1])

XXI 16, 15. Increpat scriptor Constantium quod contra solitum morem arcus triumphales erexerit ob bella civilia prospere confecta. *quo pravo proposito magis quam recto vel usitato triumphalis arcus ex clade provinciarum sumptibus magnis erexit in Galliis et Pannoniis, titulis gestorum adfixisse quoad stare poterunt monumenta lecturis.* Sic codd. Cum vero vocabulum *adfixisse* quid sibi velit non intellegatur, vulgo ab editoribus lacuna indicatur (*adfixis . . . se quoad stare poterunt monumenta lecturis*), nisi quod Gardthausenus pro *adfixisse* recepto *adfixis* verba continuo tenore expressit. Qui tamen vellem addidisset quomodo verba interpretaretur; ego nullam ex eis sententiam elicio. Orationis et structurae et sen-

[1]) Gardthausenus cur quamvis dubitanter coniecerit *arente* non expedio. An ipse quoque cogitavit de *ardente*, ut illud *arente* typothetae culpae adtribuendum sit?

tentiae lenibus adhibitis medelis ita apte succuritur *titulis gestorum* a d f i x i s *quoad stare poterunt monumenta* t e c t u r i s.[1])

XXII 9, 1. *At prosperis Julianus elatior ultra homines iam spirabat, periculis expertus adsiduis, quod ei orbem Romanum placide iam regenti velut mundanam cornucopiam Fortuna gestans propitia cuncta gloriosa deferebat et prospera, antegressis victoriarum titulis haec quoque adiciens, quod dum teneret imperium solus nec motibus internis est concitus nec barbarorum quisquam ultra suos exsiluit fines.* O felicem Julianum per tres annos nunquam querella ista vexatum, quam cum per tres dies passus esset Fronto facere non potuit quin ad M. Caesarem de ea scriberet![2]) — Tradita lectio quam esset ridicula iam Bentleius[3]) intellexit qui pro *concitus* margini adscripsit *tentatus.* Scripsit vero Ammianus haec: *quod dum teneret imperium solus, nec motibus internis est* c o n c i t u m *nec* etc.

XXII 9, 6 sq. Ammianus Pessinuntis urbis mentione facta sic pergit: *quam autem ob rem hoc nomine oppidum sit appellatum, variant rerum scriptores; quidam enim figmento deae caelitus lapso ἀπὸ τοῦ πεσεῖν, quod cadere nos dicimus, urbem adseruere cognominatam. Alii memorant Ilum Trois filium Dardaniae regem locum sic appellasse. Theopompus non Ilum id egisse sed Midam adfirmat Phrygiae quondam potentissimum regem.* Ex primis eorum quae exscripsi verbis apparet scriptorem varias causas enumerare voluisse ob quas Pessinus nomen suum accepisse traderetur. Neque vero enumerantur. Postea enim quam commemoravit alios eam a deae imagine de caelo lapsa ita cognominatam esse prodidisse, id tantum

[1]) Wilamowitzius locum ita potius restituendum esse censet *titulis gestorum adfixis sc<elera confitentibus> quoad stare poterunt monumenta lecturis.*

[2]) cf. ad M. Caesar. et invicem libr. V 69 p. 91 ed. Naber. *tertius dies est quod per noctem morsus ventris cum profluvio patior.*

[3]) Mus. Rhen. N. S. XXXV p. 343.

addit alios dicere Ilum regem aut Midam loco nomen indidisse, quam ob rem id factum sit ne verbo quidem attingens. Ilus qua de causa urbem illam Pessinuntem nominasse creditus sit, docemur cum aliis locis tum historiarum Herodiani libr. I cap. 11, ubi haec leguntur: *ὡς δὲ παρ' ἑτέροις εὕρομεν Ἴλῳ τῷ Φρυγὶ καὶ Ταντάλῳ τῷ Λυδῷ πόλεμον ἐκεῖ γενέσθαι λέγουσιν οἱ μὲν περὶ ὅρων* (codd. *ὁδῶν*, corr. Casaubonus) *οἱ δὲ περὶ τῆς Γανυμήδους ἁρπαγῆς· ἰσοῤῥόπου δὲ ἐπὶ πολὺ τῆς μάχης γενομένης ἑκατέρωθεν πεσεῖν ἱκανοὺς καὶ τὴν συμφορὰν ὄνομα δοῦναι τῷ χωρίῳ.* Mea igitur sententia haec altera causa, propter quam Pessinus nomen suum aut ab Ilo aut a Mida accepisse putabatur, in Ammiani libris excidit; cuius rei nescio an in ipsis codicibus etiam nunc quamvis leve extet vestigium. Ibi enim ante verba *locum sic appellasse* legitur vocabulum *vel* quod cum non intellegeret, Gelenius omisit. Ego sic fere ab Ammiano scriptum fuisse arbitror *alii memorant Ilum Trois filium Dardaniae regem bello cum <plurimi ibi cecidissent inde locum> sic appellasse.* Aberraverunt librarii oculi a syllabis *lo cum* ad vocabulum *locum.*

XXII 11, 8. *Ecce autem repente perlato laetabili nuntio indicante extinctum Artemium plebs omnis elata gaudio insperato, vocibus horrendis infrendens Georgium petit raptumque diversis mulcandi generibus proterens et conculcans divaricatis pedibus.* Ultimis verbis manifesto deest praedicatum. Sic fere quaeso expleas *raptumque . . . conculcans divaricatis <conficit* (sive *relinquit)> pedibus.*

XXII. 16, 3. *In Augustamnica Pelusium est oppidum, quod Peleus Achillis pater dicitur condidisse lustrari deorum monitu iussus in lacu, qui eiusdem civitatis adluit moenia, cum post interfectum fratrem nomine Phocum horrendis Furiarum imaginibus raptaretur.* Pro *raptaretur* scribendum esse censeo *agitaretur.* Neminem enim unquam scelestum a Furiis raptatum esse audivi, immo eos *'Ερινύων δεῖμα ἐκβάλλει χθονός* (Eurip. Iph. T. 931 Kirchhoff. ed. min.) et *μεταδρομαῖς*

Ἐρινύων ἐλαύνονται φυγάδες (ibid. 941 sq.). cf. Cic. de legg. I 14 *ut eos agitent insectenturque furiae;* pro Rosc. Am. 24 *ut eos agitent Furiae neque consistere unquam patiantur;* Liv. I 48, 7 *Sceleratum vicum vocant quo amens agitantibus furiis sororis ac viri Tullia per patris corpus carpentum egisse fertur;* Verg. Aen. III 331 *scelerum furiis agitatus Orestes* (vide etiam IV 471); Ovid. metam. VI 595 sq. *furiisque agitata doloris Bacche;* IX 410 *vultibus Eumenidum matrisque agitabitur umbris;* heroid. IV 47 *Bacchi furiis Eleleides actae;* Apul. Met. V 21 p. 90 ed. Eyssenh. *at Psyche relicta sola nisi quod infestis furiis agitata sola non est.*[1])

XXII 16, 14. Praedicat Ammianus amoenitatem Canopi insignemque eum esse ait auris salubriter spirantibus *ita ut extra mundum nostrum morari se quisquam arbitretur in illis tractibus agens, cum saepe aprico spiritu immurmurantes audierit ventos.* Vocabulum quod est *saepe*, praesertim iuxta valde illud poeticum *aprico spiritu immurmurantes ventos*, mihi tam videtur languidum atque molestum esse, ut ferri non possit. Quamquam quid scripserit Ammianus pro certo dici vix potest. Meyerus Spirensis probavit quod olim conieci *semper aprico.* Possis tamen etiam de aliis cogitare vocabulis velut *paene* sive *suave* (sic Wilamowitzius).

XXIII 5, 3.[2]) *Namque cum Antiochiae in alto silentio scaenicis ludis mimus cum uxore inmissus e medio sumpta*

---

[1]) Paulo faciliore medela locum sanari posse putat Meyerus Spirensis pro *raptaretur* scribens *captaretur*, quam conjecturam si quis meae praetulerit, non refragabor.

[2]) XXIII 4, 11 ubi exponitur quomodo machina aedificetur, quam Graeci nominabant *ἑλέπολιν*, Gardthausenus secutus Eyssenhardtium sic edidit: *testudo conpaginatur inmanis axibus roborata, longissimis ferreisque clavis aptata et contegitur coriis bubulis* etc. Sed revocanda est Wagneri interpunctio comma non post *roborata* sed post *longissimis* ponentis; *longissimis* cum *axibus*, non cum *clavis* coniungendum esse inde quoque patet, quod desideraretur particula duo participia *roborata* et *aptata* coniungens.

quaedam imitaretur, populo venustate attonito coniunx «nisi somnus est» inquit «en Persae», et retortis plebs universa cervicibus exacervantia in se tela declinans spargitur passim. Quamquam nusquam alibi [1]) exacervandi verbum intransitive dicitur, quantum video nemo in eo offendit exceptis Cornelisseno et Madvigio. Atque Cornelissenus [2]) quidem coniecit scribendum esse *directa vibrantia in se tela*, sed non solum hoc est quidvis efficere ex quovis, verum ne apta quidem evadit sententia, cum illud *directa* prorsus otiosum atque molestum esse nemo non videat. Madvigius [3]) suasit ut legeretur *exuberantia*, sed etiam propius ad traditam lectionem accedere poteris. Antiochenses enim cum ideo passim discurrant, ut

---

[1]) cf. Boeth. consol. philos. I 4 p. 12 ed. Peiper. *Satisne in me magnas videor exacervasse discordias?* — Lexica etiam obferunt Aquil. Rom. de fig. sent. 11: *Ἐρώτημα, interrogatum. Eo utimur, ubi exacervando aliquid interrogamus et augemus eius invidiam.* Sed quamquam Martianus quoque Capella, qui Aquilam exscripsit, § 38 p. 478 ed. Halm. habet *cum interrogando aliquid acervamus* (vel *coacervamus;* Halm. *acerbamus) et exaggeramus eius invidiam*, tamen hoc Aquilae loco sine dubio a Capperonnerio recte *exacerbando* restitutum est, nisi quod ego scribere malim *eo utimur ubi exacerbamus aliquid interrogando et augemus eius invidiam.* Verba enim qualia Capperonnerium secutus edidit Halmius, duas permiscent sententias, cum scriptor si ex ratione logica loqui volebat aut *eo utimur ubi exacerbando* (dat.) *aliquid interrogamus et augendo eius invidiam* dicere deberet aut id quod ego conieci quodque etiam loco illo Martiani Capellae commendatur.

[2]) Mnemos. N. S. XIV p. 273. Contendit Cornelissenus auctore Eyssenhardtio in V° extare *exacerbantia.* Gardthausenus, cuius editionem ille sane tantum nomine tenus novisse videtur (neque enim solum XXII 8, 16 Hauptii coniecturam *nominis* pro *modi* a Gardthauseno in adnotatione commemoratam sed etiam XIX 11, 1 ipsius V¹ scripturam *permovebant*, quam pro eo quod Eyssenhardtius minus accurate legerat *promovebant* Gardthausenus in verborum ordinem recepit, denuo ut suas emendationes protulit) Gardthausenus igitur de ea re tacet, ut utra lectio revera in V° insit dubitari possit. Sed etiamsi Eyssenhardtius recte legit, scriptorem exacervandi verbo usum esse mihi quidem videtur esse certissimum.

[3]) Adversar. crit. p. 265.

evitent tela, quibus hostes sese, si in theatro constipati manserint, obruturos esse intellegunt, perbene Ammianus sic potuit scribere *et retortis plebs universa cervicibus exacervanda in se tela declinans spargitur passim.* De participii futuri passivi propria Ammiani significatione conferenda sunt quae disputavit Langenus in Philol. vol. XXIX p. 483 sq. — Similis corruptela extat e. gr. XIV 7, 14, ubi pro codicum lectione *adimentia* dudum *adimenda* restitutum est.

XXIII 6, 73. Posteaquam in descriptione Persidis § 72 de Arachosia provincia verba fecit, in qua cum alias civitates tum Alexandriam Arbacam Choaspam insignes esse dixit, scriptor § 73 transit ad Gedrosiam, de qua ait haec: *civitates autem etiam hic sunt in civitate praeter insulas Sedratira et Gynaecon limen meliores residuis aestimantur.* Verba *in civitate*, quae inepta sunt, omisit Castellus, quem secutus est Accursius. Etiam Eyssenhardtius et Gardthausenus, quibus assensus est Schneiderus, [1]) ea uncis incluserunt, quamquam mihi quidem interpolationem quam minime videntur redolere; etenim si cui illud *hic* non sufficiebat, certe non *in civitate* sed *in Gedrosia* interpolasset. Gelenius pro *in civitate* scripsit *inter civitates*, sed ne hoc quidem aptum est cum proxime antecedat *civitates.* Ergo alia sanandi via circumspicienda est. Antea vero Schneideri coniectura commemoranda est, qui cum totam orationem non cohaerere perspiceret recte mihi scribi iussisse videtur *sed Ratira,* sub illo *Ratira* nomen eius urbis latere arbitratus quae in libris Ptolemaei (VI 21) teste Wilbergio *Ῥαγιραύα*, *Ῥαγιάνα*, *Ῥαπαύα* nominata cum altera illa *Γυναικῶν λιμήν* coniuncta invenitur. Quae forma genuina sit et ab Ammiano usurpata ne ego quidem diiudicare ausim [2]); totum vero enuntiatum sic mecum velim constituas:

---

[1]) l. c. p. 20 sq.

[2]) Ne Lagardio quidem homini harum rerum omnium peritissimo, cum eximia benevolentia molestum quaerendi officium pro me suscepisset, contigit ut usquam alibi nomen illud reperiret.

civitates etiam hic sunt, inclutae praeter insulas, sed Ratira et Gynaecon limen meliores residuis aestimantur. Adiectivum *inclutus* ab Ammiano non esse alienum videbis coll. XVIII 6, 17; XXV 3, 8; XXXI 16, 4.

XXIV 1, 10. Inde a § 6 exponitur quomodo Lucillianus comes a Juliano imperatore ad expugandum Anathan oppidum missus incolas conloquio dato ad voluntariam deditionem compulerit. *Inter hos miles quidam, cum Maximianus perrupisset quondam Persicos fines in his locis aeger relictus, prima etiam tum lanugine iuvenis, ut aiebat, uxores sortitus gentis ritu complures, cum numerosa subole tunc senex incurvus exultans proditionisque auctor ducebatur ad nostra* etc. Non recte miles ille *proditionis* dicitur auctor, neque enim *proditione* sed *deditione* urbs Romanorum facta est (cf. § 8 *hortabatur ad deditionem defensores)*, quas voces etiam Ammianus semper accuratissime distinguit. Deinde in verbis *proditionisque auctor* cum eius rei causa inesse censenda sit, quod exultabat miles, particula qua hic sententiarum nexus adumbretur carere non possumus. Itaque non absurde conicere mihi videor scribendum esse *miles quidam . . . tunc senex incurvus exultans deditionis ut auctor ducebatur ad nostra.* cf. XIV 7, 4 *Constantina exultans ut in tuto iam locata mariti salute.*

XXIV 4, 16. *tum aptatae ligneis sagittis ballistae flexu stridoreque torquebantur creberrima spicula funditantes, et scorpiones quocunque manus peritae duxissent rotundos lapides evibrabant.* scorpiones ducere longe aliud est atque quod hoc loco solum ferri potest. Emendandum est *quocunque manus peritae direxissent.* cf. e. gr. XXI 16, 7.

XXIV 4, 18. *verum in omne discrimen armatis proximus princeps civitatis urgebat excidium.* Aut fallor aut scripsit Ammianus *in omne discrimen animatis.* cf. XIV 11, 3 *ad saeva facinora ideo animatum;* XXII 9, 2 *ad expedienda incidentia promptius animatis.*

XXIV 4, 30. Narrat Ammianus quomodo manus aliqua Parthorum, quae insidiandi causa inaccessas foveas occupaverit, a Romanis igne admoto extracta sit. *Unde fumus angustius* [1]) *penetrans ideoque spissior quosdam vitalibus obstructis necavit, alios ignium adflatus immissus prodire in perniciem coegit abruptam e. q. s.* Sic vulgo editur. Sed neque haec neque Gelenii coniectura, qui scripsit *adflatus immixtus* mihi probatur; adflatus enim ignis hoc loco neque immitti neque immisceri omnino dici posse videtur. In libris manu scriptis extat *adflatus emistus* omniaque haec fere teneri possunt, dummodo litteras recte distinguas. Procul enim dubio sic emendandum est: *alios ignium adflatu semustos prodire in perniciem coegit abruptam.*

XXIV 6, 17. Enarrata pugna sub ipsis Ctesiphontis muris a Juliano gloriose facta ita Ammianus pergit: *Abunde ratus post haec prosperitates similis adventare, complures hostias Marti parabat ultori, et ex tauris pulcherrimis decem ad hoc perductis nondum aris admoti voluntate sua novem procubuere tristissimi, decimus vero qui diffractis vinculis lapsus aegre reductus est mactatus ominosa signa monstravit.* Cum res longe aliter evadat atque speravit Iulianus, pro *et ex tauris* scribendum esse *set ex tauris* in propatulo est. —

Idem vel simile mendum corrigendum est XXV 2, 8 *quo etiam id inter alia multa spernente orabant haruspices saltem aliquot horis profectionem differri, et ne hoc quidem sunt adepti imperatore omni vaticinandi scientiae reluctante, sed exorto iam die promota sunt castra*, ubi pro *et ne hoc quidem* aut *set ne*

---

[1]) Dubito Gardthausenus an non recte ediderit *angustias*. Comparativus enim aptissimus est, cum id scriptor dicere voluisse videatur quo angustius foramen eo spissiorem fuisse fumum. Quin vero *anguste penetrare aliquid* bene dici possit pro *per aliquas angustias aliquid penetrare,* quamquam ad tempus similia exempla non habeo, tamen nullus dubito.

hoc quidem aut cum statim verba *sed . . . promota sunt castra* sequantur, *at ne hoc quidem* scribendum est.

XXIV 8, 7. Sub ipso libri fine explicat scriptor Romanis cum omni spe melioris eventus deiecti Corduenam reverti constituissent, subito magnam apparuisse vim pulveris, quae quid esset cum ignoraretur, ne quid adversi accideret, tuto loco castra posita esse. *nec enim ad usque vesperam aere concreto discerni potuit quidnam esset, quod his squalidius videbatur.* Pro *his*, quod quo referatur non habet, Valesius coniecit scribendum esse *diu*, haud ita feliciter, ut mihi quidem videtur; plane enim est superfluum, praesertim cum praecedant verba *ad usque vesperam.* Rectius scripseris *quod sic*[1]) *squalidius videbatur.*

XXV 1, 3. Inter Romanos et excursatores Persicos acri proelio pugnatum est, ex quo tamen Romani discesserunt victores. *Hinc recedentibus nobis longius Saraceni nostrorum metu peditum repedare compulsi paulo post innexi Persarum multitudine totius inruebant Romana impedimenta rapturi, verum viso imperatore ad alas subsidiarias reverterunt.* Pro *totius* num recte Gardthausenus Gelenii coniecturam *ocius* receperit dubito. Ego vulgatam lectionem *tutius* praetulerim, quae mutatio non solum facilior est sed etiam meliorem efficit sententiam. Multitudine enim illa Persarum factum est, ut non iam timerent Saraceni pedites Romanos sed tutius eos adgredi possent. De celeritate adgrediendi neque hic agitur neque antea sermo fuit. Praeterea vereor ut recte legatur *innexi.* Nam sit hoc fere idem atque 'coniuncti' Persarum multitudini, quod num esse possit valde dubito, tamen si tota Persarum multitudo cum eis ad praedam faciendam accessisset, quod ipsum quoque parum verisimile est, non credo eos statim viso imperatore ad alas subsidiarias regressuros fuisse.

---

[1]) litterae s et c saepius in V° falso inter se mutatae sunt; cf. Gardth. praef. p. XIII.

Itaque verba velim corrigas sic: *paulo post* i n n i x i *Persarum multitudine* t u t i u s *inruebant.*

XXV 1, 9. *abiecti sunt autem sacramento etiam alii quattuor ob flagitium simile vexillationum tribuni: hoc enim correctionis moderamine leniori impendentium consideratione difficultatum contentus est imperator.* Utique emendandum est *contentus* e r a t.

XXV 3, 22. de Juliano moribundo haec leguntur: *et flentes inter haec omnes qui aderant auctoritate integra etiamtum increpabat humile esse caelo sideribusque conciliatum lugeri principem dicens.* Flagitatur sententia tale aliquid dictum esse: dedecet deflere vos principem qui mortuus qua est dignitate non in Cocyti profunda merget sed evehetur ad sidera. Ergo participium perfecti temporis ferri nequit; conciliatur enim caelo Iulianus tum demum, cum animam efflavit. Scribendum igitur est *sideribusque* c o n c i l i a n d u m.

XXV 4, 25. *At in Galliis bellorum tenore gliscente diffusis per nostra Germanis iamque Alpibus ad vastandam Italiam perrumpendis* etc. Sic edidit Gelenius. Sed cum in V° scriptum sit *ueruorum tenore*, non dubito quin ita potius emendandum sit: *at in Galliis* <a d> u e r s o r u m *tenore gliscente* etc.

XXV 4, 27. Inde a § 23 usque ad § 27 scriptor Julianum defendere studet ab eorum criminationibus, qui eum ad rei publicae perniciem nova bella concitasse dicant. Ac primum quidem tumultus Parthicos incendisse non Juliano sed Constantino ait crimini dandum esse; rebus autem Gallicis correctis eodem modo etiam orientis statum emendare atque recreare conatum quae voluisset eum consecuturum fuisse, si ei deorum numen fuisset propitium. Excurrit defensio ita: *et cum sciamus experimento adeo quosdam ruere improvidos, ut bella interdum victi et naufragi repetant maria et ad difficultates redeant, quibus succubuere saepissime, sunt qui repre-*

hendant paria repetivisse principem ubique victorem. Quorum verborum sententia fere haec esse debet: cum bellis victi et naufragi tamen proelia mariaque repetant, quanto magis excusandus est Iulianus, qui ubique victor novas victoriarum palmas adsequi studeret! Quae sententia quo clarius eluceat, mihi *sunt* in *sint* mutandum esse videtur (i. e. „da mag es immerhin Leute geben, welche etc.“). Indicativus ita solum explicari posset, ut esset exclamatio indignationis plena („da giebt es noch Leute, welche etc.“), sed ea non modo obscurius expressa esset quam ut facile intellegeretur, sed ne quadraret quidem ad ea verba quae antecedunt *cum sciamus* etc.

XXV 6, 2. *Proinde egredi iam coeptantes adoriuntur nos elephantis praeviis Persae, ad quorum fremitum accessumque terribilem equis inter initia turbatis et viris Ioviani et Herculiani occisis beluis paucis cataphractis equitibus acriter restiterunt.* Sic inde a Petro Castello legitur; in V° autem pro *fremitum accessumque* extat *fraetum inaccessumque.* Quae lectio praesertim cum similibus locis (cf. XIX 7, 6; XXV 1, 14; 3, 4; 3, 11; Curtius VIII 45, 10; Florus I 13) non *fremitus* sed *stridor* elephantorum commemoretur, nos eo potius deducere videtur, ut pro *fraetum in* restituamus *faetorem.* cf. XXV 1, 14 *ad quorum stridorem odoremque et insuetum aspectum magis equi terrebantur;* 3, 4 *faetorem stridoremque elephantorum inpatienter tolerantibus nostris;* Flor. I 13 p. 23 ed. Jahn. *quorum* (scil. elephantorum) *cum magnitudine tum deformitate et novo odore simul ac stridore consternati equi* etc. [1])

XXVI 6, 20. Ammianus Procopii adipiscendi imperii conatum cum aliorum confert similibus, qui ad summam

---

[1]) Quod in huius ipsius proelii descriptione a Zosimo elephantorum βρυχηθμός commemoratur, ad tuendam vulgatam lectionem nihil facere quicunque locum illum (Zosim. III 30, 3—7) paulo accuratius perlegerit facile cognoscet.

reipublicae cladem evaserint. *Sic Adramytenus* [1]) *Andriscus degener* [2]) *quidam infimae sortis ad usque Pseudophilippi nomen evectus* [3]) *bellis Macedonicis tertium addidit grave. Sic Antiochiae Macrino imperatore agente ab Emesa Heliogabalus exivit Antoninus. Ita inopino impetu Maximini Alexander cum Mamaea matre confossus est. In Africa superior Gordianus in imperium raptus adventantium periculorum angoribus inplicatus vitam laqueo spiritu intercluso profudit.* Anaphora per tria membra servata evanescit postremo sine ulla coniunctione addito. Cui rei ita facillime occurreris, si post *est* inserueris *et*, quo facto id quoque àdsequimur, ut tota periodus elegantissime excurrat.

XXVI 7, 4 explicatur ad quas dignitates Procopius ministros suos extulerit. Inter quae leguntur etiam haec: *et administratio negotiorum castrensium Gomoario et Agiloni revocatis in sacramentum committitur inconsulte, ut docuit rerum exitus proditor.* At *prodit*ne revera exitus rem ullam? *prodere* nihil aliud est nisi *edicere, indicare.* Expectamus autem a scriptore dictum esse exitu apparere utrum recte an secus aliqua res facta sit. Itaque mihi quidem persuasissimum est scripsisse Ammianum *ut docuit rerum exitus probator.* cf. Ovid. met. III 349 sq. *Vana diu visa est vox auguris; exitus illam Resque probat* etc. Aliter de hoc loco iudicavit Cornelissenus [4]) qui coniecit scribendum esse *ut docuit rerum exitus proditarum.* Quae coniectura ideo falsa est, quod

---

[1]) Sic scripsi pro vulgato *Adramyttenus* (V habet *Adramtenus).* Praeter XIV 11, 31 *Adramytenum Andriscum* cf. Cic. pro Flacc. 13, 31. Etiam nummi formam illam littera t semel posita exhibent, de qua re vide Eckhel D. N. V. t. 2 p. 440.

[2]) V: *de genere*, corr. Cornelissenus qui ad coniecturam suam probandam adferre potuit Ampel. lib. memor. XV 5 p. 15 Woelffl. *Pseudophilippus vir plebeius et degener etc.*

[3]) codd. *erectus*, correxit Petrus Castellus. cf. XIV 11, 31 *Adramytenum Andriscum . . . ad Pseudophilippi nomen evexit;* XXVIII 4. 3 *indeque multo postea ad praefecturae culmen evectus* e. q. s. s.

[4]) Mnemos. N. S. XIV p. 284 sq.

demum XXVI 9, 6 sq. Ammianus de perfidia Gomoarii et Agilonis accuratius exponit itaque hoc loco perfecti participio uti non potuit.

XXVI 8, 4. *Unde cum Ancyram Valens citis itineribus revertisset comperissetque Lupicinum ab oriente cum catervis adventare non contemnendis, spe prosperorum erectior Arintheum lectissimum ducem occursurum hostibus misit.* Cum in eis paragraphis quae antecedunt expositum sit quid adversi Valenti accidisset, ex constanti Ammiani dicendi usu hic quoque scribendum videtur *spe prosperiorum.* cf. *spes laetiorum* XXVI 2, 10, XXVII 10, 3; *spes potiorum* XVI 8, 5, XXVII 12, 17; *spes meliorum* XXIV 8, 5, XXX 7, 9, XXXI 7, 6; *spe status*[1]) *prosperioris elatus* XXIII 5, 8. Etiam XVI 4, 5 corrigendum esse puto *adfulsa*[2]) *laetiore spe prosperiorum* (codd. *prosperorum).*

XXVI 8, 9 sqq. exponitur quomodo arte Alisonis tribuni cuiusdam catena ferrea qua os Cyzici portus claudebatur confracta sit, ita ut latus iam aditus pateret. Initio paragr. 11 Ammianus tum ita pergit: *hoc Marte Cyzico reserata Procopius ad eam propere festinavit* etc. Sed cum ad iustum proelium omnino ventum esse non videatur sed Aliso tantum dicatur coniectu telorum paulisper defensus catenam concidisse (§ 10), vereor ut recte legatur *hoc Marte;* etenim si Mars dicitur pro bello, semper de saevo quodam atrocique bello cogitandum est. Itaque corrigas quaeso *hac arte Cyzico reserata,* i. e. eo machinae commento, de quo § 9 scriptor latius locutus est.

XXVII 4, 3 ubi de Thraciarum situ Ammianus uberius exponit, leguntur haec: *has terras immensa quondam camporum*

---

[1]) codd. *spectatos;* corr. Valesius. Ad. Kiesslingius coniecit *spe elatus prosperiorum [elatus],* sine ulla verisimilitudinis specie, cum tribus locis mutet.

[2]) codd. *adfusa,* corr. Cornelissenus Mnemos. N. S. XIV p. 243 coll. Iul. Obsequent. c. 29 init. *species affulsae.* vide etiam XXVII 10, 3.

placiditate aggerumque altitudine fuisse porrectas Homeri perennis auctoritas docet, aquilonem et zephyrum ventos exinde flare fingentis, quod aut fabulosum est aut tractus antehac diffusi latissime destinatique nationibus feris cuncti Thraciarum vocabulo censebantur. Iniuria Cornelissenus[1]) pro *aggerumque altitudine* proposuit *agrorumque latitudine,* cf. XXI 10, 4 ubi de eadem regione extant haec: *sub hac altitudine aggerum utrubique spatiosa camporum planities iacet, superior ad usque Iulias Alpes extenta, inferior ita resupina et panda, ut nullis habitetur obstaculis ad usque fretum et Propontidem.* Quibus e verbis facile aliquis etiam hoc loco *camporum planitie* (sive *planitate* cf. Tac. dial. 23) rescribendum esse coniecerit. Sed nolim mutare; cogita enim modo hunc sententiarum nexum: cum Homerus (I 5) ex eadem terra dicat flare et Zephyrum et Aquilonem, Ammianus concludit hanc terram Homero immensam visam esse, quippe in qua et placidi campi essent, unde Zephyrus, et asperi montes, unde Aquilo flaret. *aggeres* apud Ammianum idem esse posse atque *montes* comprobat praeter XXI 10, 4 etiam XXXI 10, 15 *asperitates aggerum prominentium* (cf. § 16 *alios montes his quos ante insederant altiores*).

XXVII 4, 5 vulgo sic legitur: *Sed ut nunc cernimus, eadem loca formata in cornuti sideris modum effingunt theatri faciem speciosam, cuius in summitate occidentali montibus praeruptis densitate Succorum patescunt angustiae.* Postrema verba inepta esse, cum unde pendeant ablativi *montibus* et *densitate* non intellegatur, facile perspicies; nec non perspicies ineptam esse coniecturam Cornelisseni[2]) pro *densitate* proponentis *devexitate,* quippe qua coniectura de offensione illa nihil dematur. In V° legitur *densita et,* ex quo Gelenius effecit *densatae,* quod ad sententiam attinet certe rectissime. Consideranti vero XIX 7, 3 in V° similiter scriptum esse *tensitate*

---

[1]) Mnemos. N. S. XIV p. 286.
[2]) Mnemos. N. S. XIV p. 286.

quae, ubi Gelenius edidit *densataeque*, mihi quidem plane constare videtur utroque loco *densitandi* verbum restituendum esse. Dubitaverunt quidem de eo et C. F. W. Mueller [1]) et Fridericus Vogel [2]), quibus id sane concedendum est apud alios scriptores illud vocabulum non inveniri; sed amare Ammianum uti verbis intensivis quae dicuntur iam Kellerbauer [3]) perspexit et duorum illorum locorum scriptura qualis in V⁰ extat aperte nos ad *densitandi* verbum, cui a ratione grammaticae nihil potes obicere, deducit. Itaque equidem hunc locum sic corrigendum esse censeo *cuius in summitate occidentali montibus praeruptis* *densitatae* *Succorum patescunt angustiae.*

XXVII 11, 1 sqq. Ammianus vitam moresque Anicii Petronii Probi describit. De quo in § 2 extant haec: *et licet potuit quoad vixit ingentia largiendo et intervallando potestates adsiduas, erat tamen interdum timidus* etc. In his verbis ut *ingentia* trahamus ad *largiendo* et sententia commendat et aequalitas membrorum alioqui nulla. Quae cum ita sint nescio an in eis quae praecedunt vocabulum aliquod exciderit. Nusquam enim quantum video, si a participii forma *potens* abscesseris, verbum *posse* absolute dictum idem valet quod *multum posse.* Itaque aut me auctore post *licet* inseras *multum* aut quod Meyerus Spirensis suasit pro *potuit* rescribas *potens.*

XXVII 11, 4 de eodem Probo dicuntur haec: *namque fatendum est: numquam illa magnanimitate coalitus clienti vel servo agere quicquam iussit inlicitum, sed si eorum quemquam crimen ullum compererat admisisse, vel ipsa repugnante iustitia non explorato negotio sine respectu boni honestique defendebat.* In his verbis manifesto mendum latet. Quae est enim *illa* magnanimitas?

---

[1]) Annal. philol. 1873 p. 355.
[2]) Annal. philol. 1883 p. 865 sq.
[3]) cf. quae exposuit in Annal. schol. Bavar. vol. VII (1871) p. 15.

Neque in § 3 quidquam de ea audimus, ubi eum absque praefecturis marcuisse legimus, neque his verbis ad ea respici potest, quae extant in § 2: *hunc quasi gemina quaedam ut fingunt poetae fortuna vehens praepetibus pinnis nunc beneficum ostendebat et amicos altius erigentem, aliquotiens insidiatorem dirum et per cruentas noxium simultates.* Neque enim solum verba *illa magnanimitate coalitus* ab illis nimis longo intervallo seiuncta sunt, quam ut apte ad ea possent referri, sed priora illa verba, quae non modo laudem sed etiam vituperationem aliquam continent, ad rem prorsus aliam spectant. Magnanimitas de qua hic agitur mihi ad nihil aliud pertinere videtur, quam quod nunquam *«clienti vel servo agere quicquam iussit inlicitum»* [1]). Quam ob rem meo iure sic mihi corrigere videor *numquam ille magnanimitate coalitus* etc.

XXVIII 1, 43 sqq. Ammianus narrat quid ab eis gestum sit qui post Maximinum vicariam praefecturam in urbe Roma obtinuerint. Sub initio § 44 haec sunt tradita: *Post hunc* (i. e. Maximinum) *venit Ursicinus ad mitiora propensior, qui, quoniam cautus esse voluit et civilis, rettulerat Esaiam cum aliis ob commissum adulterium in Rufinam detentis Marcellum maritum eius ex agente in rebus reum imminutae maiestatis deferre conatis: ideoque ut cunctator contemptus est.* Ut *deferre aliquem* apud sequioris aetatis scriptores saepissime invenitur, ita quod sciam numquam *referre aliquem*, sed aut *referre aliquid* aut *de* vel *super aliquo* aut *aliquem* addito infinitivo. Tuo igitur iure in verbis quae exscripsi haeseris. Praeterea autem tota sententia non bene procedit, cum participia *detentis* et *conatis* nulla particula coniuncta sint, quominus autem in verbis inde a *Marcellum* usque ad *conatis* causam inesse censeamus eius rei, quod ab Ursicino homines illi detinebantur, verba obstent *ob commissum adulterium.* Omnia bona atque recta erunt, si ita mecum ab Ammiano scrip-

---

[1]) Eandem verbi iubendi constructionem invenis XXVI 8, 5 *ipsis hostibus iussit suum vincire rectorem.*

tum esse existimabis *rettulerat Esaiam cum aliis. . . . detentis* . . . . conatos etc.

XXVIII 1, 45. *Huic* (sc. Ursicino) *successit Hemonensis Simplicius Maximini consiliarius ex grammatico, post administratam nec erectus nec timidus sed obliquo aspectu terribilis, qui compositis ad modestiam verbis acerba meditabatur in multos. Et primo Rufinam cum universis auctoribus adulterii commissi vel consciis interfecit* etc. Verba *post administratam* ab hominibus doctis diversum in modum explicata sunt, vereor tamen ut a quoquam recte. Atque Lindenbrogio quidem locus videbatur hiulcus esse legendumque *post administratam* *<provinciam>*. Quae verba sive ad ea quae antecedunt seu ad ea quae sequuntur rettuleris, sententiae quae postulatur non satisfiet. Antea enim quam Maximini fieret consiliarius, non provinciam administravit Simplicius sed grammaticus erat; verba autem *nec erectus . . . . multos* ad id tempus pertinere, quo Romae ille vicariam gerebat, e verbis *et primo Rufinam* e. q. sq. luculenter apparet, quod quidem tempus verbis illis *post administratam provinciam* significari posse praefracte nego. Neque enim solum parum accurate ac definite dicta essent, sed ne verisimile quidem est Simplicium antequam Romam veniret provinciam administrasse, cum ex verbis *huic successit Hemonensis Simplicius Maximini consiliarius ex grammatico* nostro iure colligere possimus eum usque ad ipsum illud tempus, quo Romae vicarius factus est, Maximini consiliarium fuisse. Ergo Lindenbrogii coniectura falsa est. Neque magis explicatio mihi probatur Valesii. Putat enim is vir doctissimus ad verba illa *post administratam* ex eis quae antecedant animo nobis supplendum esse *vicariam praefecturam* pluraque talium omissionum exempla sibi proponere posse videtur ad XVI 12, 6. Quae tamen exempla ita sunt comparata, ut vix quidquam eis demonstretur. Ammianus enim quin ita nonnumquam loquatur, ut ex eis quae praecedunt vox aliqua cogitatione supplenda sit, ut ne ego quidem dubito, ita aliquid praecedere necesse

est, ex quo illa suppleri possit. Itaque quamquam et XIX 1, 4 se recte habere puto *credentemque quod viso* (scil. *se*) *statim obsessi omnes metu exanimati supplices venirent in precem* et XXI 13, 1 *his ac talibus inter spem metumque nova negotia commovente (Juliano* scilicet, de quo per totum caput 12 verba facta erant) neque mutaverim XXIII 13, 1 *cunctos transire iussit Euphratem; quo comperto omnes evolant ex hibernis transmissoque* (sc. Euphrate; Gardthausenus: *transmissique*) . . . *adventum principis expectabant* [1]), tamen mihi persuasissimum est nec XVI 12, 6 recte legi *quae anxie ferebat sollicitus Caesar quod trudente ipsa necessitate digresso periculis* (scil. Barbatione, de cuius fuga Ammianus quatuor paragraphis superius locutus erat) *cum paucis licet fortibus populosis gentibus occurrere cogebatur*, sed recte emendasse Madvigium [2]) *digresso* <*socio*> *periculi*, nisi quod fortasse *digresso periculi s*<*ocio*> scribendum est, neque ea ferri posse, quae extant XV 5, 19 *et qui paulo antea cum insectatione malivola orientis vorago invadendaeque summae rei per filios adfectator compellabatur, tunc dux prudentissimus et Constantini Magni fuerat commilito solusque ad extinguendum probis quidem sed insidiosis rationibus petebatur*, in quibus verbis ad *extinguendum* Valesius nos e § 17 *Silvanum* supplere iubet, mihi vero, cum Silvani commemoratio multo longius antecedat quam ut id fieri possit, *solusque ad extingendum* <*incendium*> etc. esse corrigendum videtur. Eodem autem modo eo quoque loco, a quo exorsi sumus, post *administratam* (sc. *vicariam praefecturam* § 43 nominatam) non arbitror ferri posse. Sed haec per digressionem. Accedit enim id quod supra iam contra Lindenbrogium monui et quo Valesii explicatio prorsus fit intolerabilis, agi verbis *nec erectus* . . . . . *multos* de ipsius vicariae tempore neque de ullo alio. Itaque etiam

---

[1]) XVII 1, 4 scripturam V[1] *octingentos imposuit milites eorum XX sursum versum decurso* etc. nec Valesii nec Joannis Hermanni (l. c. p. 15) coniectura sanatam esse puto; qua re hoc loco ad diiudicandam eam, quam tractamus, quaestiunculam melius abstinemus.

[2]) advers. crit. III p. 254.

Valesii explicatio utique videtur reicienda [1]) atque alia circumspicienda esse vel interpretatio vel emendatio. Scripsit autem Ammianus mea quidem sententia ita: *post administra-<tionem adep>tam nec erectus* etc. [2]) Participium *adeptus* etiam XVIII 6, 1 passiva notione usurpatum est. cf. libri quem de formis linguae latinae scripsit Nevius vol. II[3] p. 273.

XXVIIII 1, 50. Abienus quidam, qui Romae cum Fausiana femina non ignobili libidinis habuit commercium, Simplicii adventu perterritus in secreta se abdit receptacula Fausianaque damnata diu apud Anepsiam quandam delitescit. Tandem servi alicuius indicio proditus e latebris abstrahitur. *et Abienus quidem exaggerato crimine stupri quod intulisse dicebatur Anepsiae morte multatus est.* Quae verba quamquam nullus editor in eis offendit, tamen recte se habere non possunt. Quid est enim, quo crimen stupri, quod intulisse dicebatur Anepsiae, exaggeratum sit? Omnino non quod Anepsiam violasse putabatur sed propter commercium cum Fausiana habitum Simplicius eum persecutus est, Anepsiae vero stuprum ut novum ad prius illud crimen accessit. Itaque mea quidem sententia luce clarius est sic scribi debere: *et Abienus quidem exaggerato crimine stupro, quod intulisse dicebatur Anepsiae, morte multatus est.*

XXVIIII 2, 4. Gelenius ita edidit: *vicit tamen imperatoris vehementior cura et morigeri militis labor.* Sed cum pro *vicit* in V° extet *vice* atque in hoc codice librarii neglegentia etiam in fine verborum semel atque iterum litterae omissae sint, cuius rei exempla collegit Schneiderus l. c. p. 5, nescio an rectius scribamus *vice<runt> tamen* etc.

---

[1]) Dubitanter hoc iam Wagnerus pronuntiavit in ed. tom. III p. 228.

[2]) Meyerus Spirensis praefert *per administrationem* eodem modo XXX 8, 3 non *post* sed *per interrogationes* scribens.

XXVIIII 4, 33. *Id enim nunc repertum est pro sonitu laudum impensiore per applicatos homines ad plodendum*[1], *ut in omni spectaculo exodiario, venatori, aurigae et histrionum generi omni et iudicibus celsis itidemque minoribus nec non etiam matronis clametur adsidue «per te ille discat»* etc. Opponit Marcellinus hominibus ad plodendum applicatis, qui prioribus temporibus scaenarios artifices plausibus clamoribusque probassent, iudices celsos minoresque et matronas, quos sua aetate ad strepitum illum descendere ait. Haereo autem in vocabulo *et* quod extat ante *iudicibus.* Quamquam enim non ignoro apud Ammianum pro *a* cum ablativo etiam dativum e passiva verbi forma nonnunquam dependere (cf. p. 33), tamen id hoc loco, ubi praecedunt quattuor dativi prorsus aliter comparati vix ferri posse puto. Accedit quod vocabulum *et* non habet quod sibi respondeat; nam quin *que* illud quod est in *itidemque* eo respicere censeamus, et ipsum illud *itidem* obstat et quod iudices celsi et minores unam tantum classem efficiunt, quae particulis *et-que* ita vix posset distingui. Ac ne ea quidem verba, quae sunt *nec non etiam* voculae *et* bene respondent, quibus eis quae antecedunt novi aliquid adiungatur, de quo scriptor cum priora illa scriberet ipse nondum cogitaverit. Quae cum ita sint, nullus dubito quin Ammianus scripserit *a* ***iudicibus*** *celsis* etc. Vocabula *et* et *a* facillime inter se commutari potuisse vix est quod moneam.[2])

XXVIIII 5, 7 sic legendum est: *Ac licet iustus quidam arbiter rerum factum incusabit*<***ut***>*perfidum et deforme, pensato tamen negotio non feret indigne manum latronum exitialem tandem copia data consumptam.* — *consumptam* ex

---

[1]) codd. *loquendum,* corr. CFWMueller l. c. p. 360.

[2]) Etiam XVI 4, 1, ubi in V° extant haec: *ideo confidentes quod ei nec scutarios adesse et pde montibus perfugis didicerant,* aut Gelenii coniecturae, qui *prodentibus* edidit, aut Cornelisseni (Mnem. N. S. XIV. p. 243), qui *praemonentibus* scribendum esse censuit, id videtur addendum esse ut illud *et,* quod perversum est, mutemus in *a.*

V[1] lectione *coptam* rectissime restituit CFWMueller[1]); *ut* ego inserui. cf. e. gr. XX 10, 1 *neve ut remissus argueretur et deses;* XXI 12, 25 *Nevittam, qui nuper ut primum augendae barbaricae vilitatis auctorem inmoderate notaverat Constantium*; Tac. A. II 69 *simul missi a Pisone incusabantur ut valitudinis adversa rimantes.*

XXVIII 5, 14. *Apud hos* (sc. Burgundios) *generali nomine rex appellatur Hendinos, et ritu veteri potestate deposita removetur, si sub eo fortuna titubaverit belli vel segetum copiam negaverit terra ut solent Aegyptii casus eiusmodi suis adsignare rectoribus.* — *suis* ut vulgatum ita plane supervacaneum est, vix enim aliorum rectoribus suos casus quisquam attribuat. Etiam quod Nissenus excogitavit *casus eiusmodi summis a. r.* vereor ut cuiquam probet. M testeque Eyssenhardtio etiam V habent *eiusmodum uis*, unde facili opera haec elicitur emendatio: *ut solent Aegyptii casus eiusmodi unis adsignare rectoribus.* Quamquam ne tum quidem refragabor, si *casus eiusmodi omnis* praeferes. cf. XXX 4, 22 *hoc ingenitum est paene litigantibus cunctis, ut cum iurgia mille casibus cadant, accidentia secus in potestate esse existiment patronorum et omnem certaminum exitum isdem soleant adsignare et non vitiis rerum aut iniquitati aliquotiens disceptantium sed solis defensantibus irascantur.*

XXIX 2, 17. *Accesserat hoc quoque eodem tempore ad Valentis ceteras laudes, quod cum in aliis ita saeviret, ut poenarum moras aegre ferret finiri cum morte, Pollentianum tribunum malitia quendam exsuperantem ..... abire iussit inlaesum.* Sic Gelenius, quem secuti sunt Eyssenhardtius et Gardthausenus. Sed vereor ne hic gravis interpolationis accusandus sit homo doctissimus. Quid enim sibi velint poenarum *morae* vix quisquam intellexerit. Neque magis placent quae coniecerunt Valesius (*poenarum atrocitatem*) et Gronovius (*poenas humanas*),

---

[1]) l. c. p. 360.

praesertim cum multo longius a codicis vestigiis recedant, quam ut eos verum vidisse verisimile sit. In V[0] enim legitur *ut poenarum maturis* [lacuna 10 litter.] *ferret.* Videtur autem lacuna sic esse explenda sermone non optimo illo quidem sed tamen Ammiano haud indigno: *ut poenarum maturis*<*simum aegre*> *ferret finiri cum morte.* Ex Ammiani dicendi ratione *poenarum maturissimum* idem fere est atque *summa poenarum maturitas.* cf. XIV 6, 4 *tranquilliora vitae*; XV 10, 4 *anni verno:* XIX 10, 4 *hiemis durissimo*; XXIV 1, 2 *per plana camporum et mollia*; XXIV 4, 8 *silvarum densa;* XXVI 7, 1 *pacatiora vitae*; XXIX 6, 16 *silvarum occulta;* XXXI 2, 15 *longa terrarum;* XXXI 9, 2 *montium celsa.* Dicit autem scriptor aegre tulisse Valentem quod poenae tum cum maxime vigerent summumque acerbitatis gradum adsecutae essent (cf. Ovid. Trist. II 123 sq. *si modo laesi Ematuruerit Caesaris ira*), morte cruciatorum finirentur. Quacum sententia conferri potest XXI 16, 6, ubi de Constantio legimus *morteque* [1]) *longius in puniendis quibusdam si natura permitteret conabatur extendi.*

XXIX 2, 24. *Et quamquam sint multa et varia quae ut levius interpretemur, egit asperrime, pauca tamen dici sufficiet.* Corrige quaeso *lenius.* cf. Cic. p. Muren. 31 *in mitiorem partem interpretari;* Tacit. A. II 30 *si mollius acciperes.*

XXIX 3, 7. *Cumque nihil quaestiones reperirent adsiduae, mandare magistris equitum auditoribus princeps ut agerent Claudium in exilium* etc. Si exceperis verba quae extant XXXI 9, 3, ubi *transire* iamdudum in *transiere* correctum est, uno hoc loco Ammianus infinitivum historicum qui dicitur usurpasse videtur. Kallenbergius, qui accuratius in infinitivi apud Ammianum usum inquisivit, illud infinitivi genus plane

---

[1]) Hanc lectionem Vi, non dittographiam in § 7 extantem *mortemque* Eyssenhardtio et Gardthauseno recipiendam fuisse ex ipsius quem modo tractavimus loci sententia quam maxime perspicuum est· *extendi* est forma medialis, quae dicitur.

ab hoc scriptore abiudicare ideo dubitat, quod verbum *mandare* facile mutari non possit.[1]) At potest, scribas modo *mandarat.* Tollendus mihi uterque ille infinitivus videtur esse utique apud eum scriptorem, cuius per duodeviginti libros ne in vividissimis quidem descriptionibus (cf. e. gr. XVI, 12) usus illius praeterea ullum vestigium reperias.[2])

XXIX 6, 16. Narravit Ammianus Theodosium iuniorem Sarmatas liberos Romanorum fines invadentes aliquotiens expulisse pluriumque sanguine alites ferasque satiasse. *Unde residui tumore iam deflagrante metuentes, ne idem dux virtutis ut apparuit expeditae in primo finium aditu incursantes cuneos sterneret aut fugaret vel insidias per silvarum locaret occulta, post multos perrumpendi conatus subinde temptatos in cassum abiecta pugnandi fiducia concessionem petivere praeteritorum et veniam victique ad tempus indultae foederibus pacis nihil egere contrarium etc.* Vocabulum *victique* corruptum esse puto, neque enim apte eo loco reliquam illam Sarmatarum partem victam esse commemoratur, praesertim cum res ad ultimum quoddam proelii discrimen non veniat sed voluntario foedere ad Romanos sese applicent. Suspicor *victique* mutilatum esse ex *consecutique* (an *nactique?*).

---

[1]) l. c. p. 42.

[2]) Ne Gardthauseni quidem editioni prorsus fidem haberi posse luculenter demonstratur verbis quae leguntur XXIX 4, 5 *parumper ob tenebras morati nocturnas exiliente procinctu pergebant ulterius.* Neque enim solum de V¹ scriptura ab Eyssenhardtio commemorata *procincti* tacet sed etiam adnotat *exiliente luna G,* cum *exiliente luna procincti G* adnotare debuisset. Ceterum lectio illa *exiliente procinctu* per recentiores editiones ad usque Gardthausenianam propagata tandem vel furcis expellenda est; vix enim existat aliquis qui procinctum exilire posse aut mihi aut sibi persuadeat. Unum verum illud Gelenii est; vocabulum enim *luna* quin inter *exiliente* et *procincti* exciderit, propter ea quae antecedunt *parumper ob tenebras morati nocturnas* utique fieri non potest. Cf. XIX 7, 2 *exiliente lucifero* et XX 11, 19 *legiones procinctae celeri gradu venerunt.*

XXX 5, 14 *progressus ergo coacto gradu in quantum res tulit* etc. Legas *concito gradu.* cf. XVI 12, 55; XXIV 6, 12; XXIX 6, 13; XXXI 6, 3 etc. Catull. LXIII 2; 8; 18; 26. Apul. met. IV 21; V 31 s. fin.; VI 1 et saepius.

XXX 8, 4. Ammianus de moribus Valentiniani agit, quem ait tam fuisse crudelem, ut neminem unquam capitis damnatum absolveret. *Atquin potuit exempla multa contueri maiorum et imitari peregrina atque interna humanitatis et pietatis, quas sapientes consanguineas virtutum esse definiunt bonas.* Vocabulum *bonas* absurdum esse iam Gelenius perspexit, quod cum emendare nequiret omisit. Cum desideretur substantivum, ad quod pertineant adiectiva *peregrina* et *interna*, quae ad *exempla* referre vix potueris, leni medela adhibita sic locus apte videtur restitui posse: *et imitari peregrina atque interna humanitatis et pietatis, quas sapientes consanguineas virtutum esse definiunt, b o n a.*

In eadem paragrapho, cum in V⁰ sit *exercitu id*, pro vulgato *exercuit* rescribe *exercit<a>uit.*[1])

XXX 10, 3. *Utque erat secrete mandatum,* (Merobaudes) *Sebastianum principis adhuc ignorantem excessum longius amendavit, quietum quidem virum et placidum sed militari favore sublatum ideo maxime tunc cavendum.* Pro *ideo* quod vulgatum est, cogitare possis scribendum esse *ideoque*, cum coniunctione aliqua utique opus sit. Sed recte me Meyerus monuit traditum esse *ineo*, ex quo facilius effeceris *et eo.*

XXXI 7, 15 apud Gardthausenum sic legitur: *et pertinaci concertatione nondum lassatae aequo Marte partes semet altrinsecus adflictabant nec de rigore genuino quisquam remittebat, dum*

---

[1]) Plane inepte ab Eyssenhardtio, quem doleo secutum esse Gardthausenum, verba distincta sunt 9, 4 *memoria sermoneque incitato quidem sed raro, facundiae proximo vigens.* Comma omittendum erat et intellegendum: vigens et memoria et sermone incitato quidem sed raro facundiae proximo.

vires animorum alacritas excitaret. Sed cum in V° extet *remittebant*, scribendum est sine dubio *nec de rigore genuino quicquam*[1]) *remittebant.* cf. XVI 12, 18 *cunctis igitur summis infimisque adprobantibus tunc oportune congrediendum nec de rigore animorum quicquam remittentibus* etc., quo loco iniuria Cornelissenum[2]) pro *rigore* scribi iussisse *vigore* eis ipsis verbis comprobatur, quae nos emendavimus.

XXXI 9, 3. Gothi Thracia ferro ignique vastata concisoque cum suis Barzimere Scutariorum tribuno posteaquam Frigeridum ducem Romanum Gratiani iussu in Thraciam revertisse acceperunt, conficiendi eius summa flagrantes cupiditate ut ferae eum sequuntur. Qua de re Frigeridus certior factus per montes densasque silvas in Illyricum redit. Quo in itinere res ei accidit prosperrima. *Repedando enim congregatosque in cuneos sensim progrediens Gothorum optimatem Farnobium cum vastatoriis globis vagantem licentius occupavit* etc. Nemo quod sciam hominum doctorum haesit in vocabulo *congregatosque,* quamquam quin falso legatur dubium esse vix potest. Qui sunt enim globi illi congregati? An Gothorum? Sed tantum abest ut contra hos progrediatur Frigeridus ut a sequentibus eorum catervis (cf. §§ 1 et 2) in Illyricum recedat. Nemo credo non videt eos, qui cuneatim incesserint, Romanos esse debere, quippe qui *per montium celsa silvarumque densitates* (§ 2) Illyricum repetant. Neque vero *in congregatos cuneos progredi* pro *cuneatim progredi* dici posse quisquam contendet. Apparet igitur scribendum esse *repedando enim congregatusque in cuneos sensim progrediens* etc. cf. XXIV 2, 14 *imperator cuneatim stipatus;* XXX 1, 5 *egressus cuneatim.*

XXXI 10, 1 sq. sic scribo: *Haec autumno vergente in hiemem funesti per Thracias turbines converrebant. atque ea*

---

1) litteras c et s in V° saepius alteram falso pro altera scriptas esse exemplis confirmavit Gardth. praef. p. XIII.

2) Mnem. N. S. XIV p. 247.

(vulgo *quae; et qua* V^1 hic deficientis apographa Italica et Accursius) *temporum rabies velut cuncta cientibus Furiis ad regiones quoque loginquas progrediens late serpebat. etenim* (codd. *et iam; etiam* Meyerus Spirensis) *Lentienses, Alamannicus populus tractibus Raetiarum confinis, per fallaces discursus violato foedere dudum concepto conlimitia nostra temptabant* (codd. *Lentiensis .... temptabat,* at cf. XV 4, 1; XXX 10, 4; 12; 17; XXXI 12, 1).

XXXI 10, 15. *Multis ut in tali negotio variatis sententiis otioso milite circumvallari placuit* (sc. Gratiano) *barbaros inedia fatigatos, quia locorum iniquitate defendebantur.* Emendandus est error qui non semel in V^0 occurrit. Gratianum enim ea de re barbaros, quos vi et armis ex abruptis collibus eicere non potuerat, circumvallare constituisse ut inedia eos fatigaret, in propatulo est. Itaque prorsus certum puto scripsisse Ammianum *circumvallari placuit barbaros inedia fatigandos, quia locorum iniquitate defendebantur,* ita ut postremis verbis contineatur causa, cur inedia fatigandi visi sint. cf. XVII 7, 6 *quosdam domorum inclinata fastigia intrinsecus serabant* [1] *intactos, angore et inedia consumendos.*

XXXI 11, 2 *qui* (sc. barbari) *motu imperatoris cum abundanti milite cognito popularibus iungere festinant.* Scribendum est *popularibus iungere* <*se*> *festinant,* neque enim usquam *iungere* dicitur pro *se iungere.*

XXXI 11, 4. (Serenianus) *secuta luce impetu clandestino erupit vesperaque incedente* [2] *Gothorum vastatorios cuneos prope flumen Hebrum subito visos paulisper opertus aggeribus et frutectis obscura nocte suspensis passibus compositos adgressus est adeoque prostravit, ut praeter paucos, quos morte velocitas exe-*

[1]) V *serebant,* corr. Hauptius.

[2]) Ita recte Eyssenhardtius pro *incendente,* quamquam *vespera incendens* in V^0 etiam XX 11, 24 legitur. cf. Drakenborch. ad Liv. I 57, 8.

merat pedum, interirent reliqui omnes. Pro V[1] lectione *conpositos,* quae inepta est, vulgo legitur *incompositos.* Sed alio vetus scriptura ducere videtur. Facilius enim, certe elegantius correxeris ita: *obscura nocte suspensis passibus consopitos adgressus est* etc. cf. XIV 2, 2 *quos cum in somnum sentirent effusos per ancoralia quadrupedo gradu repentes seseque suspensis passibus iniectantes in scaphas eisdem enim* † [1]) *nihil opinantibus adsistebant;* et XIX 6, 7 *atque ipsum spiritum reprimentes cum prope venissent .... exteriores castrorum vigiles ut in nullo tali metu sopitos obtruncantes* etc. — *consopitus* legitur XXIX 1, 16. De genere corruptelae cf. Schneider l. c. p. 29 adnot. 1.

XXXI 13, 12 sqq. Enarrat Ammianus diversas de morte Valentis pugna Hadrianopolitana interfecti relationes dicitque ex aliorum sententia eum sagitta percussum brevi post mortuum esse neque usquam postea repertum. *Hostium enim paucis spoliandi gratia mortuos per ea loca diu versatis nullus fugatorum vel accolarum illuc adire est ausus.* Si pauci tantum hostium in illis regionibus diutius morati essent, non erat cur tanto et milites et accolae afficerentur timore, ut non auderent interfecti principis corpus indagare. Itaque opinor ante *paucis* inserendum esse *non,* quod post *enim* facile potuit exidere.

Deinde alia de morte imperatoris fama affertur (§ 14): *Alii dicunt Valentem animam non exhalasse confestim, sed cum candidatis et spadonibus paucis prope ad agrestem casam relatum secunda contignatione fabre munitam, dum fovetur manibus imperitis, circumsessum ab hostibus qui esset ignorantibus dedecore captivitatis exemptum.* Etiam in his verbis mendum inesse

---

[1]) pro *enim,* quod corruptum est, Eyssenhardtius scripsit *sensim,* quam coniecturam laudavit Adolfus Kiessling (annal. phil. 1871 p. 495), in ordinem verborum recepit Gardthausenus. Mihi illud non probavit, neque enim praedones illi cum arrepserint sensim iacentibus adsistunt, immo subito. Quod certum sit, non habeo. Fortasse id quod in codd. legitur mutilatum est ex *eiusmodi,* cf. e. gr. XXI 4, 8 *nihil metuentes huius modi.*

puto ortum errore oculi similitudine litterarum decepti nonnullaque praetermittentis. Neque enim se recte habere videtur praepositio *cum*, cum ipsi candidati illi ac spadones quin in casam eum transtulerint nemo possit dubitare. Universae sententiae forma fere haec fuisse videtur: *alii dicunt Valentem animam non exhalasse confestim sed* cum <concidisset a> candidatis et *spadonibus paucis ad agrestem casam relatum* e. q. s.



Index locorum tractatorum.